DE

CENSURIS LATÆ SENTENTIÆ

QUÆ

IN CODICE JURIS CANONICI

CONTINENTUR

COMMENTARIOLUM

DIGESSIT

JOHANNES CAVIGIOLI

Archipresbyter S. Mauritii a Clivo

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

TORINO - 1919
LIBRERIA EDITRICE INTERNAZIONALE
DELLA S. A. I. D. BUONA STAMPA
Corso Regina Margherita, 176

CATANIA *Via Vitt. Em., 144* | PARMA *Libreria Fiaccadori* | TORINO *Via Alfieri, 4*

Della stessa Libreria

PUBBLICAZIONE UTILISSIMA

ai Rev. Sacerdoti e ai cultori delle Scienze filosofiche

Studi Superiori
N. 1-2

Dott. COSTANTINO GUTBERLET

L'UOMO

LA SUA ORIGINE E IL SUO SVILUPPO

Critica dell' antropologia monistica

Versione italiana, autorizzata sulla terza edizione originale, del prof. *L. E. Bongioanni* con introduzione del dott. *P. A. Gemelli*

Vol. I - *Il corpo* - L. 5 Vol. II - *La psiche* - L. 5

INTERESSANTE PUBBLICAZIONE

TH. MOREUX

CHI SIAMO?

Elegante volume in-16, ricco di disegni e fotografie

Traduzione di *G. Albera*

Lire 1,80

Indice: I. Cervello e intelligenza. - II. L'unità della specie umana. - III. L'uomo deriva dalla scimmia? - IV. La durata delle epoche geologiche. - V. Alla ricerca dell'uomo terziario. - VI. Le sfortune dell'uomo terziario. - VII. Prime tracce dell'umanità. - VIII. L'uomo delle caverne. - IX. L'età della renna. - X. Gli ultimi periodi della preistoria. Conclusione.

DE

CENSURIS LATÆ SENTENTIÆ

QUÆ

IN CODICE JURIS CANONICI CONTINENTUR

COMMENTARIOLUM

DIGESSIT

JOHANNES CAVIGIOLI

Archipresbyter S. Mauritii a Clivo

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TORINO - 1918

LIBRERIA EDITRICE INTERNAZIONALE

Corso Regina Margherita, 176

CATANIA	PARMA	TORINO
Via Vitt. Em. 144	*Libreria Fiaccadori*	*Via Alfieri, 4*

Proprietà riservata alla Casa Editrice

Stabilimento Tipografico AJANI & CANALE - Torino.

MARIÆ

VIRGINI OPIFERÆ

QUÆ LENDINARIÆ IN FINIBUS VENETORUM

IN ÆDE IN SUI HONOREM EXCITATA

CLIENTIBUS

VOLENS PROPITIA

OCCURRIT

OPELLAM VOTI REUS INSCRIBO

5502

PRAEFATIO

Pervolutanti mihi Codicem juris canonici nuper promulgatum, unde decet, ut JUSTINIANI Digesta evulgantis verba mutuer, GRATIAS AMPLISSIMAS AGERE SUMMÆ DIVINITATI, QUÆ NOSTRIS TEMPORIBUS TAM SALUBERRIMUM OPUS SERVAVIT (1), plura occurrebant commentatione digna. Nam codicis normæ tum jus canonicum medullitus retractant, tum theologiæ, quæ de moribus est, fines ita prope contingunt ut sacrorum administri, studiorum curriculum jam emensi, cogantur utriusque disciplinæ notitias in schòlis haustas reficere et, si comparatione uti licet, aliquatenus resecatas resuere. Inter areolas hujusce campi longe lateque patentis, quem uno ictu oculi difficile est amplecti et quem profecto oportet per sulcorum tramites percurrere et metiri, ea quæ censurarum latæ sententiæ naturam et species scrutatur me allecit ut quæ semihoris subsecivis, animo vix a curis officii soluto, mecum ipse marte meo reputaveram, memori folio committerem. Et mea adversaria, parvo volumine collecta, quod nec multa dies nec multa litura coërcuit, in vulgus edere anceps audeo, cum mihi pollicear nonnullos fore quibus tenuis hæc opella auxilio sit.

(1) *Const.ne « Tanta nos », 19.*

Quod si quis me carpat non dubitantem TRIBUS EXPLICARE CHARTIS rem tanti momenti, is equidem sciat me noluisse censuras penitius evolvere, sed tironis arte adhuc manca et lintearii more quasi licia concinnasse texturæ per lectorem, socium laboris, perficiendæ. Ne mihi ergo audaciæ vertatis quod vestigia juris pontificii prudentium pede incerto legerim. De penuria mea, duo minuta, quod est quadrans, in gazophylacium Ecclesiae mitto (1).

Dabam ad S. Mauritii, in Clivo Verbano, XIIII Kal. Jun. a. p. Ch. n. MDCCCXVIII.

---

(1) *Cfr. Mc. XII, 42 sqq.*

DISPUTATIO PRIOR

DE CENSURIS IN GENERE

Numeri uncis inclusi canonum ordinem in codice juris referunt.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/incodicejuriscan0000joha_i6g7_w8e0

1. — Etsi professi sumus nos de CENSURIS LATAE SENTENTIAE (l. s.) sermonem instituere et circumscribere, attamen exiguo haustu sorbillare de censuris universim spectatis, et doctrinae rudimenta saltem primoribus labris attingere haud supervacaneum ducimus, imo certe necessarium, si cupimus singulas callere (1). Sed celeri gradu vestibulum hoc obiri oportet, canones potius contrahendo quam enucleando; re enim vera tam perspicue totum corpus censurarum Codex effingit, ut attente perlegenti, nisi ineptias vel tricas suscitare velit, nihil fere amplius desit quominus doctrinam generalem perstricte acquirat; nam et in rebus antea disputatis disceptationi doctorum locus, si non omnino intercipitur, quod absurdum esset contendere, certe coarctatur. Hinc fit ut aegre Codici explicando manus admoveas, veritus ne fumum ex

(1) IO. PIGHI, vir clarissimus, qui primus omnium, penes nos, hanc spartam ornavit, asserit mutationes a Codice inductas circa normas generales censurarum, leviores esse et non plures. Nemo certe infitias ibit: sed si ad trutinam ante revocaveris, labori postea parces.

fulgore facias. Nec ea res est quae tractata nitescere possit. Illud denique animo advertendum est, ut claritati simul et brevitati consulamus, jurisconsultorum, ut Quintilianus de aequalibus fatebatur, *summum circa verborum proprietatem laborem esse* (1). Quod et scribentis et legentis par officium esse debet.

Sex igitur capitibus perpendemus :

Quid sit censura ;
Quinam censuras ferant ;
Quinam censuris percellantur et eximantur ;
Quidnam censuris percellatur ;
Quidnam censura efficiat ;
Quomodo censura cesset.

---

(1) Inst. V, 14.

CAPUT PRIMUM

De Censura

2. — Censurae nomine Romanis veniebat honos et officium censoris, ante J. Caesarem, censum efformantis et senatores deligentis vel indignos albo ejicientis, quod C. Crispo Sallustio accidisse compertum est. Latius tamen patet ambitus hujus vocis, si fontes juris consulas (1) et philologos attendas (2), quam saeculo XIII p. Chr. n. ineunte jus canonicum ea significatione technica instruxit qua nos utimur (3).

---

(1) Cfr. l. 38 C. *De Decurionibus* (X, 31 (32); l. 3 C. *de condictione etc.* (IV, 7).

(2) Cfr. Ausonii Popmae *De differentiis verborum* ed. Taur. a. MDCCCLXV sub voce. Cfr. l. 111 *De verborum signif.* D. L. XVI.

(3) Cfr. c. 20 De verb. sign. X (V, 2): *Quaerenti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi . . . . respondemus quod per eam non solum interdicti sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi.* Innocentius III (a. 1214). Porro, Morino teste (*De Sacram, Poenit.* XXV, 12) ars stricte praeciseque et secundum formalitates logicas de censuris ecclesiasticis loquendi et philosophandi per undecim et amplius saecula ecclesiasticis auctoribus cognita non fuit. Cfr. etiam doctrinam S. Thomae, qui paulo post med. saec. XIII scripsit, quaestionibus XXI-XXIV Supplem. tertiae partis S. Th. comprehensam.

3. — Si *omnis definitio in jure periculosa est* (1), doctorum ambages Codex sustulit authentice definiens : *Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus, vel spiritualibus adnexis privatur, donec a contumacia recedens, absolvatur* [2241 § 1]. Ubi nonnulla illustranda sunt.

Poena dicitur quia *delicto* respondet. DD. Suaresium secuti addere consueverant : poena *spiritualis et medicinalis;* spiritualis utique, cum animarum saluti prospiciat (2); medicinalis quia ex Innocentio IV *medicinalis est excommunicatio* (et eadem ratione *suspensio* et *interdictum*), *non mortalis, disciplinans, non eradicans* (3) ; unde censura differt a poenis vindicativis, quae directe delicto expiando feruntur, ita ut earum remissio a cessatione contumaciae delinquentis non pendeat.

Delinquens et contumax : porro delictum intelligimus externam et moraliter imputabilem legis

(1) L. 202 *De reg. jur.* D. L. XVII.

(2) Consueverunt hic canonistae provocare ad 1 Cor. V. 5 ut exemplum censurae ab Apostolo latae inveniant ; quin etiam curiosius exquirunt cur Paulus inauditum tanta poena mulctaverit : at locus difficultate non vacat. Cfr. Rodulph. Cornély *Commentarium in hanc ep.*[2] Parisiis 1909, pp. 121 sqq. : Lemonnyer *Epîtres de s. Paul* Parisiis 1905 v. 1 p. 116. Scripturae tamen luculenta testimonia suppeditant excommunicationum, et praeter dilucida verba Domini Mt. XVIII, 17, quibus etiam acatholici auctoritatem Ecclesiae confirmari ultro fatentur (cfr. ex. gr. Marshall *The school and college St. Matthew* London, p. 76), ex ipsis epistulis paulinis plura hauries documenta : II Thess. III, 14 ; Tit. III, 10 ; I Tim. I, 20. Cfr. Prat *La théologie de S. Paul,* I Partie, Parisiis 1908, p. 140. Ceterum et synagoga excommunicabat. Cfr. Kortleiner *Archaeol. bibl. summarium.* Oeniponte 1906 § 281.

(3) C. 1 *De sent. excomm. suspens. interd.* in VI° (V, XI).

violationem cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata [2195 § 1]. Legis utique ab hominibus latae cui refragatur externa violatio.

Quibusdam bonis spiritualibus (puta communione fidelium, sacramentis, etc.) *vel spiritualibus adnexis* (v. c. officio, beneficio, jurisdictione, rescriptis): de quibus effectibus in capite quinto loquemur.

Donec a contumacia recedens absolvatur: censura enim non tam delicta persequitur quam delinquentium emendationi studet.

4. — Censura *ratione ferentis,* alia est *a jure,* si legi adnectitur; alia est *ab homine*, si praecepto aut sententiae judiciali sociatur (1).

---

(1) Hac brevicula formula [2217 § 1°, 3] naturam utriusque acu attingimus. Veteres canonistae, nimis urgentes cc. 4 et 5 *De his quae fiunt a praelato sine consensu capituli*, X (III, X), nedum censuram per judicem competentem in singulos pronunciatam, quod nemo negat, sed et irrogatam mandato generali *censuram ab homine* arbitrabantur. Hoc posterius fortasse originem duxit ab ancipiti doctrina circa potestatem legislativam Episcopi extra Synodum (cfr. D' Annibale *Summula theologiae mor.*[4], p. I § 199 n. 4), quam praeceptis plus minusve aequabant, ita ut ejus jure quovis modo resoluto censurae evanescerent: videsis Bucceroni *Theol. mor.*[3] v. II § 1085. Unde ulterius progressi reservationes v. c. ab Episcopo inductas, etiam consulto capitulo, censebant vi destitui, ejus morte, vel translatione, vel renuntiatione (cfr. D' Annibale l. cit. § 339). Incongrue quidem, cum ex ordinatione divina Episcopus sit legislator et in ipsa Synodo nemo praeter eum suffragium ferat nisi consultivum, tam veteri (S. C. C. 27 Apr. 1592) quam novo jure [362]: nec est cur coërceamus jura Episcopi extra Synodum decernentis, licet aliquando ei expetendus sit consensus capituli et quidem, si secus agat, invalide agat [105 § 1°] vel hujus votum sit percontandum, puta in reservatione peccatorum [895]. Ideo si

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Ratione irrogationis, alia est *ferendae sententiae* (f. s.), si ope judicis vim exserit; alia *latae sententiae* (l. s.) si violatione legis patrata ipso facto incurritur. Utra habenda sit ex verbis legis Auctores fusius docuerant; hodie perspicue ex can. 2217 § 2 « poena intelligitur semper f. s. nisi expresse dicatur eam esse l. s. vel *ipso facto* seu *ipso jure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur ».

Ratione absolutionis, alia est *nemini reservata,* a qua quilibet confessarius in foro interno (f. i.) valet absolvere, in foro externo (f. e.) autem is qui in reum jurisdictione potitur; alia *reservata vel S. Sedi* (tum simpliciter, tum speciali vel specialissimo modo: de quibus singillatim inferius) vel *Ordinario,* tum a jure (Nobis) tum a se (a Nobis). Et quae ab homine infligitur, ferenti, aut ejus superiori, successori, vel delegato reservari semper intellegitur.

Ratione speciei, in *excommunicationem*, *interdictum, suspensionem* diducitur.

5. — Censurae ad jus poenale Ecclesiae ideoque ad fori externi provinciam pertinent. Unde quicumque Ecclesiam tamquam perfectam societatem infitiantur, eidem abnuunt potestatem judiciariam, quae ex legislativa profluit et coactivam continet (1). Quorum

---

quas leges vel censuras Episcopus generali edicto quandocumque tulerit, has *a jure* dicemus et *perpetuas*, cum lex non a sedente sed ab officio, quod utique natura sua perpetuum est, robur obligandi accipiat; nec capituli participatio ultra terminos juris sit producenda. Quae hodie argumento indirecto firmari licet; nam et ipsa praecepta si legitimo documento nitantur vel coram duobus testibus sint lata non cessant resoluto jure praecipientis [24].

(1) Cfr. Liberatore *Del diritto pubblico ecclesiastico.* Prati 1887 C. II aa. IV et V.

errores denuo erumpentes, denuo Ecclesia confixit (1).

CAPUT SECUNDUM

De Auctore Censurae

6. — Generatim qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt legi vel praecepto censuras adnectere. Hi recensentur ex ordine:

7. — Ante omnes et super omnes censuras infert Romanus Pontifex pro potestate supremae, plenae et immediatae jurisdictionis eidem divinitus collata, qua pascit et regit fideles et singulos et universos. Auctoritate R. Pontificis, eisdem delata, Congregationes Romanae Curiae sicuti decreta ferendi jus

---

(1) Cfr. Denzinger-Bannwart *Enchiridion symbolorum*[11] Friburgi 1911 nn. 499 (*Marsilius Patavinus*), 591 et 610 (*Wicleff*), 645 (*Hus*), 763 (*Lutherus*), 1440 (*Quesnellus*) 1546 (*Synodus Pistoriensis*). De relatione primis Ecclesiae temporibus intercedente inter potestatem clavium internam et externam scil. censurarum cfr. Rauschen *L'Eucaristia e la penitenza nei primi sei secoli della Chiesa*. Florentiae 1909. p. II passim; Battiffol *Les origines de la pénitence* in *Etudes d'histoire et de théologie positive*, I vol. Parisiis 1902 pp. 43-222.

habent (1) ita ejusmodi decreta censuris munire possunt.

8. — Concilium Oecumenicum, cujus tamen decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a R. Pontifice confirmata et Ejus jussu promulgata [227] (2).

9. — Legati Apostolici si non habent potestatem ordinariam ferendi censuras [267 § 1°, 1, 2] delegatam habere possunt (ib. 3).

10. — Cardinales in suis titulis ex communi sententia quae obtinuit etiam post editam Constitutionem Innocentii XII « Romanus Pontifex » diei 17 Sept. a. 1692, cujus medullam renovat can. 240 § 2. Haec si eis sustulit jurisdictionem quasi episcopalem in populum, sartam tectamque servavit potestatem in iis quae ad disciplinam, morum correptionem et servitium Ecclesiae pertinent. Disciplinam autem et morum correptionem posse restitui et instaurari poenis medicinalibus planum est. At quia dioecesanus ordo judiciorum in Urbe uni Cardinali Vicario addicitur, patet Patres Purpuratos

---

(1) Etsi decreta generalia edere nequeunt nisi post approbationem R. Pontificis, ex ***Motu Proprio Benedicti PP. XV diei 15 Sept. 1917***, qui Codici praefigitur.

(2) «Licet episcopi sint jure divino subiectum huius potestatis exercendae (*scil. legibus ferendis*) una cum aliis et sub R. Pontifice, quia jure divino sunt Principes, sive habentes jurisdictionem ordinariam in Ecclesia, tamen hanc potestatem ferendi leges pro universa Ecclesia Episcopi, nec singuli seorsum nec collecti simul, habent a se vel a Deo immediate, sed solum habere possunt immediate a R. Pontifice, eos ex potestate sua convocante ». Palmieri *De Romano Pontifice* pp. 581 sq.

in ferendis censuris non ea amplitudine potestatis pollere.

11. — Episcopi et qui loco Episcopi in jure habentur, scil. Administratores Apostolici [315 § 1], Vicarii et Praefecti Apostolici [294 § 1], Abbates et Praelati nullius dioceseos [323 § 1]. Vicario Generali haec facultas, antea communiter a DD. eidem adserta, hodie per Codicem dempta fuit [2220 § 2], nisi mandato speciali sit instructus.

12. — Metropolita in Dioecesi Suffraganei in actu tantum visitationis et si de crimine notorio vel offensis sibi vel suis forte illatis agatur [274, 5]; item de censuris a Suffraganeo latis cognoscit ad normam can. 2243 § 2 (1).

13. — Concilium Provinciale, quod, simul atque legitime convocatum sit, ens juridicum efformat a Metropolita et Suffraganeis distinctum, tam nova [291 § 2] quam vetere disciplina (2).

14. — Vicarius Capitularis in quem transit Episcopi jurisdictio in spiritualibus aeque ac in temporalibus [435 § 1] (3).

---

(1) Circa notorietatem, seu juris seu facti, Codex [2197, 2° 3°] perspicua brevitate ea statuit, ut, dubia antehac a DD. exagitata radicitus evellantur, quin etiam indignatiuncula Glossae (in c. *Manifesta* C. II qu. I) queritantis ignorantiam de notorio hodie defervere cogatur.

(2) Cfr. Benedicti XIV *De Synodo dioecesana* (l. XIII c. V § 8). Sed statuta ab Episcopis coëuntibus in conventus seu conferentias provinciales seu regionales eo robore instruuntur ac si a singulis seorsim edantur, etsi collective promulgata.

(3) Capitulo, ante electum, infra octiduum a Sede orbata Vicarium Capitularem hoc jus antea plerique canonistae, aliis DD. contradicentibus (ex. gr. Tanquerey et Quevastre

15. — Superiores et capitula in religione clericali exempta, utpote qui habeant erga subditos jurisdictionem ecclesiasticam, tam pro f. i. quam pro f. e. [501 § 1]: ergo et istiusmodi priores, guardiani, rectores, qui, si non leges ferendi, procul dubio praecepta imponendi jus et officium habent (1).

CAPUT TERTIUM

De subiecto censurae

SECTIO PRIOR

Quinam censura percellatur

16. — Generatim loquendo, censura percellitur *subditus*; scil. is qui lege aut praecepto tenetur, censurae alterutri adnexae fit obnoxius, nisi expresse eximatur [2226 § 1]. Poenae irrogatio est pars potentialis jurisdictionis quae in subditos exercetur. Subditus autem fit *laicus* domicilio vel quasi domicilio; *clericus* incardinatione; *religiosus* professione; *vagus* transitu.

---

in *Breviore synopsi theologiae moralis et pastoralis* Romae 1911 § 745) negabant; sed quo pacto negarent nescio; hodie, si aperta verba citati canonis expendantur, non est cur affirmantes haereamus.

(1) Conjice parocho nullimode competere hoc jus, cum nec potestatem dominativam, qua praecepta veri nominis imponuntur, nec jurisdictionem in f. e. assequatur.

17. — Et primo oportet subditum esse *baptizatum*, quia Ecclesiae jurisdictio suis finibus continetur (1): nec obest si sit haereticus, apostata, vel schismaticus, cum nemo ex iniquitate sua commodum reportare possit.

18. — Secundo autem necesse est eum et *septennio majorem et rationis compotem* esse (12); citra septennium, etsi compotes rationis, ultra septennium, si impotes, legibus mere ecclesiasticis absolvuntur (2) (cfr. tamen infra n. 22).

19. — Praeterea oportet subditum *in territorio Superioris* actu vel fictione juris (v. c. si legis transgressio in proprio territorio noceat) *commorari* si contram legem delinquit, quia leges praesumuntur territoriales [8 § 2]; secus si contra praeceptum, quod ubique urget (3). Imo quia religiosi jurisdictione personali pro natura sui status ligantur, ubivis tum lege, tum praeceptis, ideoque et censuris percelluntur.

---

(1) Quid, si baptismus fuerit mere putativus, aut dubius? Quaestio elegans, licet vix usu veniat. Baptismum putativum non inserere corpori Ecclesiae probat, contra nonnullos, Billot *Tractatus de Ecclesia Christi*. Th. X; ad baptismum dubium quod attinet, in dubio utrum valide nec ne collatus sit, saltem in f. e. standum est pro valore actus, ideo et censurae contractae; in dubio utrum nec ne fuerit collatus, ante excussum dubium aut baptismum sub conditione iteratum, censuram non posse urgeri liquet.

(2) Nempe nisi aliud in jure expresse caveatur: quapropter [859 § 1] qui usum rationis septennio minor attigerit, jam tenetur Eucaristia refici (*Resp. diei 3 januarii 1918).*

(3) Quaestionem jamdiu agitatam de territorialitate et personalitate legum, quam nemo qui jura libaverit ignorat quanto tempore jactata fuerit (cfr. hac de re Calisse *Storia del diritto italiano* Florentiae, vol. I pp. 79 sqq.; Pertile *Storia*

20. — Exinde infer:

a) Peregrinos censuris l. s. non innodari, nec, si f. s. sint, posse citari, nisi deliquerint contra leges generales ibi vigentes, vel contra territoriales quae consulant ordini publico vel actuum sollemnia determinent [14 § 1°, 2, 3].

b) Religiosos exemptos in iis quibus subsunt Ordinario loci ab eodem censuris plecti posse [619] (1): item si extra claustra illegitime degant vel legitime degentes deliquerint quin a proprio Superiore praemonito punirentur, etsi domum reversos [616].

21. — Et ignotos posse censuris plecti tralaticii juris est [2242 § 1]: nam Ecclesiae forum externum interno coordinatur, cum poena medicinalis remedio animarum sit instituta : ignoti autem sufficienter determinantur crimine a lege descripto.

---

*del diritto italiano*² Augustae Taurinorum, Vol. 1 pp. 64 sqq.: et propius nostro argumento Pacelli *La personalità e la territorialità delle leggi specialmente nel diritto canonico*, Romae 1912) Codex saltem in universum dirimit. Hodie igitur, in dubio num qua lex adstringat extra territorium, pro libertate est decernendum ; num personam in territorio versantem, pro lege.

(1) Nisi speciali privilegio, legitime quaesito, fruantur effugiendi et in his censuras (non item alias poenas) Ordinarii, quod prodest religiosis Ordinum Mendicantium et Sodalibus S. J., nec revocatur a Codice [4].

SECTIO ALTERA

Quinam censuris eximantur

Eximit a censuris:

22. Primo quidem *aetas* citra pubertatem, quae [88 § 2] in maribus decimoquarto anno completo, in foeminis decimosecundo incipit (1); de censuris l. s. certum est; censuras autem f. s. judex monetur impuberibus non infligere sed eos potius emendare punitionibus educativis [2230].

23. — Secundo *dignitas*, nempe Cardinalatus et Episcopatus, qua Patres purpurati a lege poenali in universum, Episcopi, quibuscum nedum titulares sed et ii qui loco Episcopi habentur [cfr. n. 11] accensentur, a suspensione et interdicto l. s. non tenentur, nisi expresse nominati [2227 § 2]. Ii denique qui supremum actu obtinent principatum, eorum liberi et successores designati, solis censuris pontificiis ligantur [1557 § 1º, 1; 2227 § 1].

24. — Tertio *imminuta responsabilitas*, sed multifariam; rei enim valde implexae obviam imus quae difficulter uno obtutu lustratur et quam conabimur paucis absolvere.

---

(1) Praesumptione legis ex jure romano; Inst. I, XXII pr. Cfr. hac de re Bonfante *Istituzioni di diritto romano*[5] Mediolani. p. 53.

25. — Primum igitur quia in jure poenali versamur, idcirco juris prudentes audiemus circa imputabilitatem, cujus Codex aperte mentionem ingerit can. 2195 et can. 2199. Imputabilis violatio legis ea dicitur cujus homo est causa tum *physica*, quia eam externe ponit, tum *moralis*, quia eam vult. Haec imputabilitas fit *politica*, si hujusmodi violatio a civitate mulctatur sanctione ; at profecto imputabilitas politica sine elemento morali et physico consistere nequit, quorum alterutrum si deficit, jam delictum evanescit : nempe si physice lex non fuit violata eo actu externo ut sensui aliquomodo occurrat, *praetor de internis non judicat*: si moraliter non fuit violata, quia agens physicus violationem noluit, non est cur civitas sanctionem applicet.

26. — Rursus si elementum morale violationis perpendimus, illud constare perspicimus tum intellectu scil. cognitione, quia nil volitum quin praecognitum, tum voluntate libera, quia sermo instituitur de actibus humanis.

27. — Praeterea agens physicus violationem moraliter ponit dupliciter, et quidem disjunctive :-

a) vel *sciens prudens* (ad animadversionem quod attinet) et *consulto* (ad consilium quod attinet) scil. *sponte, animo* (1);-

b) vel quia voluntarie omisit seu cognitionem legis seu debitam diligentiam in actione ponenda.

Priorem speciem doli, alteram culpae — seu

---

(1) Vocibus jurisconsultorum romanorum utimur : cfr. fr. 9 D.XLVII, IX ; fr. 54 pr. D.XLVII, II , fr. 11 § 2 D. XLVIII, XIX; fr. 1 § 3 D.XLVIII,VIII.

latae, seu *levis*, seu *levissimae* — nomine (1) DD. distinguunt, quamvis theologis culpa theologica idem sit ac dolus seu culpa lata jurisconsultis (2).

28. — Disceptanti de censuris elementum morale prae physico occurrit, et inspicere oportet unde minuatur vel radicitus tollatur sive ex parte intellectus, sive ex parte liberae voluntatis. Utrinque et seorsim rem attingemus.

29. — Intellectum devium praestat error; ignorantia caecum: utrumque tamen *ignorantiae* nomine venit, et juris est, seu facti seu poenae, prout lex, aut actionis positae malitia, aut poena delinquenti ignota sit; quod si ignoretur hic et nunc, animi perfunctoria evagatione, inadvertentia potius est sed eodem recidit [2202 § 3]. Ignorantia autem est *invincibilis*, quae disiici nequit, ideoque a culpa theologica et a poena prorsus eximit; et est *vincibilis* quae non disiicitur cum possit, sive sit *affectata*, scil. voluntaria, sive sit *simpliciter vincibilis*, quando dubium oscitanter excutitur, sive sit *crassa* aut *supina* prouti ex torpente aut curis distento animo, tanquam caligo palustris, profluat (3).

---

(1) Haec tripartitio culpae magis ad obligationes quae ex contractu exsistunt est referenda (cum *in lege Aquilia*, scil. ubi de delicto sarciendo agitur, *et culpa levissima veniat)* et hodiernis non placet, imo a fontibus aliena perhibetur: quod nostra non interest.

(2) Hanc discrepantiam terminorum opportune ob oculos ponit Koch *Lehrbuch der Moraltheologie*[2] Friburgi in B. 1907 p. 109.

(3) Uberius argumentum ignorantiae evolves, si attente perlegeris articulos secundum, tertium et quartum qu. LXXVI in prima secundae *Summae Theologicae* S. Thomae. Brevius ex

30. — Voluntatem nequidquam obsistentem vis physica (jurisconsultis *vis absoluta*) praepedit, reluctantem metus (*vis compulsiva*) subigit et flectit. Illa imputabilitatem radicitus aufert, hic non item (1); et dispicere oportet utrum hic sit juste an injuste incussus, et utrum gravis, levis an reverentialis sit, et utrum ab intrinseco an ab extrinseco enascatur. Sunt vero pleraque negotia juridica quae metu, eoque injusto et gravi, contracta vel ope legis, libertati paciscentium consulentis, nulla, vel ope judicis rescindibilia sunt: de quibus passim confer auctores utriusque juris. Ad haec, voluntas passionibus sive appetitus concupiscibilis (scil. hinc amore, desiderio, gaudio, illinc odio, fuga, tristitia) sive irascibilis (spe, audacia, dejectione, metu, ira) immutatur: de quibus audi philosophos de moribus agentes. Et habitibus per actus iteratos acquisitis disponitur ad aliquid operandum, ut scholastice loquamur, *sic vel aliter*.

Hi igitur obices, juxta nostrorum doctrinam, intellectui et voluntati obsunt; quos expeditius est ex ordine recitare quam actu ad amussim emetiri. Quis enim sciat v. c. rimari innumeros gradus ne-

---

ipso Angelico (ib. art. 3 c.): «Talis negligentia (scil. *ignorantiae vincibilis*) facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum, *quae quis scire tenetur et potest*: et ideo talis ignorantia non totaliter excusat a peccato».

(1) Nostrorum doctrina de *vi* seu *metu* (duae voces duas facies ejusdem rei indicant; cfr. Ferrini *Manuale di Pandette*[3] Mediolani 1908 § 177) si a Romanorum jure quasi ex fonte derivat, in alveo juris canonici succrevit; mitius enim agit et libertati magis consulit quam romani juris prudentes, aspera philosophia stoicorum imbuti, rati *justum et tenacem propositi virum quem non vultus instantis tyranni mente quatit solida* (Hor. *Carm.* III, 3) communiter haberi.

gligentiae ex qua culpa juridica conflatur, vel metum aut passionum impulsum aequissima lance librare? Neque vero hanc difficultatem judicando inesse praetereat confessarios. *Pravum est cor omnium* (hebr. *plus quam omnia*) *et inscrutabile: quis cognoscet illud?* (1).

Insuper opportunum pro re nata foret et recens inventa *medicinae*, quam vocant, *legalis* discutere quae morbos voluntatis (ita enim eos appellant) periclitatur, vel abnormem intellectum, citra insaniam, investigat. Utrinque procul dubio imputabilitas plus minusve minuitur; neque haec ignorare vel grandi supercilio praetermittere aut adoriri fas est theologo sive canonistae. Lubet quidem meminisse et *psychopathologiam* a nostris hodie excoli ea cura qua par est (2) et librum quintum codicis inter impedimenta voluntarii *debilitatem mentis* memorasse [2201 § 4].

31. — Sed ad nostra revertamur censuris accommodantes ea quae previter redegimus.

Antequam decernat censuras f. s., sive ex lege sit eam comminante, sive ex praecepto, judex vel Superior delinquentis praemoniti [2233 § 2] imputabilitatem perpendit, cujus proinde aestimatio alterutrius prudenti arbitrio remittitur: imo si de excommunicatione irroganda seu declaranda agitur, delinquenti cavetur per tribunal collegiale [1576 § 1°];

---

(1) Hier. XVII. 9; cfr. Knabenbauer in h. l.

(2) Cfr. quae breviter et audenter scribit Hogan *Gli studi ecclesiastici* (ex anglico sermone italice redditum) Romae. pp. 288 sqq. Quid quod? Pervolve M. Tullii Ciceronis *Tusculanarum Disputationum* librum quartum, ubi praeclare disputata invenies, ex Stoicorum doctrina, de morbis animi. Nec te lateat hominum impulsiones abdita vi *hereditatis* saepe constitui; *patres* quippe *comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt.* (Hier. XXXI, 29).

etsi induciae contumaci datae, ut resipiscat, ignorantiae, si qua est, diverticulum praecludunt et aestum passionis restinguunt, ita ut, nisi emendetur, pervicacem se ultro praebeat et dignum qui districta poena mulctetur.

32. — Ad censuras l. s. quod attinet, inspicienda est lex qua instituuntur. Quae si verba habeat: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* et alia id genus quae plenam cognitionem et deliberationem arguunt, tunc quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis ab his eximit, ex can. 2229 § 2; quapropter eximit ignorantia tum simpliciter vincibilis tum crassa et supina; non autem affectata, quae ***nunquam*** a poena purgat, ex eodem can. § 1 (1). An et quantulacunque imputabilitatis extenuatio, puta metum levem, accipienda sit tamquam causa excusans? Nequaquam, quia *vani timoris justa excusatio non est* (2); nec commotiuncula voluntatem delinquentis prosecuta imputabilitatem videtur imminuere (3).

---

(1) Anteriori jure utrum a censura his clausulis lata ignorantia affectata excusaret, theologi certabant; licet communius negarent, affirmantium sententia haud improbabilis S. Alphonso (H. A. XIX, 8) visa est, *quia in ipsa* (ignorantia affectata), *loquendo in rigore, non adest dolus formalis, qui inducit verum contemptum censurae.* Quin etiam ex resp. S. Off. Kal. Febr. 1871 per clausulas *ausu temerario* vel *praesumpserit* eum percelli tantummodo qui sciens prudens legem violet declaratum fuerat. Hodie tamen aliter dicendum est.

(2) L. 184 D. *De reg. jur.*

(3) *Si motus voluntatis sit, non ex necessitate sequitur passionem* S. Theol. I II qu. X a. III, c. *Secundum hoc passio minuit peccatum in quantum minuit voluntarium* ib. qu. LXXVII a. VI c.

Si vero recitata verba lex non habeat, ignorantia simpliciter vincibilis sive legis sive poenae, alterutrius tantum, excusat a censuris l. s.; crassa et supina non item: ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, passionis impetus excusant a censura l. s. si delictum exinde gravem culpam non attingat; metus gravis eximit, nisi delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis, vel in publicum animarum damnum [2229 § 3].

33. — Ideo ea doctrinae capita, quae theologi hac de re superius tradiderant, in codice plerumque rata habentur: proinde ubi de censuris disserimus, probatos auctores consulere et lenta manu versare perutile erit, ne inepte arbitremur veterum sapientiam per codicem obsolevisse.

CAPUT QUARTUM

De obiecto censurae

34. — Ex can. 2242 § 1 censura punitur tantummodo *delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia conjunctum.*

Quid nomine *delicti* in jure canonico veniat, superius vidimus; cfr. n. 3. (1). Nec praetereunda est

(1) Differtne delictum a crimine? In jure romano *illud* judicio privato, *hoc* quaestionibus publicis coërcebatur (cfr. Ferrini *Diritto penale romano.* Mediolani 1899 cap. III). Quod generice decretales *crimen* appellabant, codex *delictum* nuncupat et criminis nomen impedimento nuptiarum et falsi facinori applicat.

regula juris poenalis extra controversiam posita *nullum crimen haberi sine lege:* et altera quae huic respondet *nullam poenam ferri sine lege.* Unde *ex lege* et *juxta legem* delicta et poenas concipimus et pensamus. (1).

Insuper violationem legis non ex opinione peccantis sed facto existimari oportet; et si quid dubii tum legis, scil. juris, tum facti serio exsistit, poenam, ideoque censuram, abesse arguimus, quia haec *certa* delicta insequitur: cetera, quae subobscura sunt, divino judicio committit. *Occulta et incognita illi sunt relinquenda, Qui solus novit corda filiorum hominum* (c. 20 C. II. qu. V.). Cum vero subditus et lege et praecepto regatur, si cui praecepto sanctio poenalis adnectitur, violatio praecepti aeque aestimanda est ac delictum [2195 § 2].

Nunc vero singula praedicata delicti censura puniti examini subjiciamus.

35. — *Externum* delictum jus poenale prosequitur, uti jam innuimus de imputabilitate disserentes (2). Concisam rationem affert Angelicus: *De iis potest homo legem facere, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus qui latent, sed solum de exterioribus motibus qui apparent* (3). At si poena actum externum insectatur, externo ita non circumscribitur ut

---

(1) Hinc, quia in poenis benignior interpretatio et facienda [2219 § 1], licet mandans sit principalis delicti auctor [2209 § 3], censura in exsecutorem lata illum ordinarie non tenet et e converso.

(2) *Cogitationis poenam nemo patitur.* (Ulpianus) fr. 18 D. XLVIII, XIX.

(3) *Summa Theol.* Ia IIae qu. XCI a. 4. c.

non valeat internum, prouti externi causam, aestimare, puta si lex censura afficiat *scienter* transgressos.

36. — Et *grave* delictum esse oportet tum interne (unde et *casus* et *culpa civilis* non attenduntur) tum utique actu externo ex se se; intendens alapam sacerdoti impingere, si declinantem non consequitur, a censura est immunis, quia actus externus revera deficit aut saltem inconsummatus est (v. inf. n. 37); item eximeris si cito aestu disputationis leniter urgeas clericum et huic inopinato proruenti crus abrumpatur, quia damnum externum casu, non ex se se, fit grave. Gravitatem delicti tum ex materia, tum ex fine legis conjicimus; utcumque, in dubio, statutum legis possidet (1); *nam materia in se levis*, inquit S. Alphonsus, *potest reddi gravis ex adiuncta circumstantia scandali aut periculi, aut finis intenti, ac similium et tunc juste imponitur praeceptum ac censura ita ut transgredientes graviter peccent et censuram incurrant* (2).

Puta, sicubi Episcopus, decori sacerdotii prospiciens, clericos vetuerit birota currere, censura forte adnexa tenet. Nonne frustulum carnis duas uncias attingens levi negotio dentibus conficis? Et si feria sexta manducas, nemo negat te graviter peccare.

37. — *Consummatum*, codex subdit. Cum vero paulo superius [2212] brevi compendio delicti co natum et delictum frustratum in jus canonicum in vexerit seu potius restituerit (nam ex jure decretalium levia quidem sed satis perspicua indicia hujus

---

(1) Cfr. D'Annibale *Summula* cit. I, § 326 n. 13.
(2) *Theol. Mor.* VII, 31.

distinctionis non desiderantur) (1) et expoliverit juxta recentiorum aequiorem doctrinam, jam circumscribitur certis limitibus doctrina delicti consummati. Illud profecto habemus ubi *tria* concurrunt:

a) si agens consilium suum *in itinere*, ut verbis Alciati utar, non deseruerit: puta si ostiolum tabernaculi scalpro fregerit et manum pyxidi admovens sacram Eucaristiam attrectaturus, sceleratissimum animum repentino mutet, a censura, de qua can. 2320, est immunis, licet horrendi facinoris jam reus;

b) si usus sit mediis sufficientibus delicto perficiendo, iisque aptis, id est natura sua conducentibus ad exsecutionem delicti; nempe, si media *insufficientia* ponuntur v. c. si clericus clericum injussu Episcopi ad tribunal provocaverit citatione quae nullitate laboret et a judice in limine rejiciatur, vel *inepta* ex. gr. si clericum veneno absumpturus, saccharum ex errore propines, effectus seu mancus est seu prope deficit, et consummatio evanescit;

c) si nulla causa praeter voluntatem agentis effectum frustraverit; puta, si novitia a te coacta ut vota nuncupet, jam jam professura diem obeat.

Quid si consummationem praecesserit poenitentia? Finge patrem qui serio minitatus se, praeter portionem legitimam, filium exheredem scribere, nisi

---

(1) Cfr. fontes canoni laudato allatos. Meminisse lubet aetatis nostrae legislatores et doctores doctrinae de delicti conatu et de delicto frustrato extremam posuisse manum; etenim nec ex jure romano, nec ex jure insequentis aevi inconcussa principia hac de re hauries: cfr. Arabia *I principi di diritto penale applicati al codice Italiano*. Neapoli 1891 § 165.

clero se mancipet, antequam hic tonsuram recipiat, testamentum inofficiosum rescindit. Modo conetur mutatum consilium filio patefacere, quamvis ex accidenti filius non rescierit, censura, de qua n. 178 agemus, abest.

38. — Cave tamen ne perfectionem delicti cum effectu permisceas: et si effectus eodem momento cum perfectione exsistit, censura non incurritur nisi effectu secuto; sic homicidium morte perempti perficitur: secus si actio vetita integra ex se sit, nec mens legis effectum ex ea manantem complectatur qui fortassis contingere nullo pacto potest: v. c. appellatio a R. P. ad Concilium Oecumenicum simul atque pronunciata fuerit, etiam nullo fumo juris fucata, censura plectitur [2332], licet effectum sortiri nequeat, cum Concilium Oecumenicum ab uno R. P. cogatur; item clericus scienter resignans beneficium in manus laicorum, nil agit, at suspensionem ipso facto a divinis non effugit [2400].

39. — *Cum contumacia coniunctum*, denique concludit codex. Contumax (a contemnendo, seu, ut aliis placet, a tumendo scil. fastu) in censuris f. s. est is qui spreta monitione nec a delicto patrando desistit, neve patrati poenitentiam agit, damna et scandala sarciens; in censuris l. s. ipsa transgressio legis, legitima causa non interveniente, contumaciam inducit. Contumacia desinit vera poenitentia et satisfactione aut praestita aut serio promissa arbitrio absolventis aestimanda [2242].

Et in hoc differunt a vindicativis poenae medicinales, scil. censurae: in *his* resipiscentia absolutionis viam aperit, in *illis* non item: nam ubi quis

convaluerit, medicina cessat (1). Exinde censura lata in tempus determinatum [ex. gr. can. 2410] poenis proprii nominis est magis accensenda, licet auctores eam quandoque consueverint inter censuras numerare.

CAPUT QUINTUM

De effectibus censurae

40. — Canones hac de re utilius in ipsa fonte codicis leguntur quam si summatim describantur; eos igitur summis digitis hac illac attingere nobis, qui nullimode codicem sufficere consilium inivimus, sit satis. Quia vero in studia theologica et juris instituta superiore tempore incubuimus, et aequalibus nostris scribimus, qui cura animarum distinentur, quid intersit inter veterem et novam disciplinam pro captu nostro adnotabimus.

---

(1) In hoc discrepat potestas judicialis Ecclesiae a potestate civitatis quae poenas medicinales proprie acceptas non valet decernere, licet Plato emendationi correpti institui poenas docuerit, et in jure romano severitas puniendi *philantropiae* nomine veniat (Nov. XXX, 11). Si rem attendas, civitas, dum castigat, *sibi* prospicit, et animum delinquentis non attingit. Ecclesia vero, remediis spiritualibus instructa, gladio suo pertingit latebras conscientiae ita ut eo aevo, quo ei permittebatur perampla facultas etiam graviora supplicia decernendi, exquisitae poenae vindicativae ad instar medicinalium habebantur. Cfr. Vacandard *La nature du pouvoir coërcitif de l'Eglise* in *Etudes de critique* v. II p. 237.

41. — Excommunicatio, quae, nomine graeca fonte deducto, *anathema* passim dicitur (1), maxima inter censuras, singulos afficit: interdicto autem et suspensione etiam collegia mulctantur; *illo* scil. tum clerici, tum laici, tum locus, *hac* clerici tantum. Insuper excommunicatio nunquam fertur ut poena vindicativa [2255]: sed interdictum et suspensio utique feruntur.

42. — Excommunicatorum triplex genus extat (2258 sqq.):

Primo venit *vitandus*, is nempe qui nominatim, conceptis verbis, a sede Apostolica (antea etiam per sententiam declaratoriam seu condemnatoriam Episcopi: S. Off. 9 jan. 1884) ut talis sit publice excommunicatus, vel R. Pontificem (antea quemlibet clericum) percusserit: hunc *ne passive quidem* divinis officiis, iis vid. quae a clericis obeuntur, praeterquam praedicationi, adesse licet: si sacerdos sit, quovis munere ecclesiastico privatur, at in periculo mortis constitutum nedum valide sed et licite absolvit [882]; quin etiam, alio deficiente, etiam caeteris sacramentis et sacramentalibus munit [2261]. Quocum vitando *in civilibus* communicare ex rationabili causa licet.

Secundo venit *toleratus*, sed sententia, sive declaratoria sive condemnatoria, *percutsus:* hunc non licet *active* divinis officiis participare, imo, nedum sacramenta sed nec sacramentalia percipere. Erga

(1) Haec vox in jus a Scriptura, praesertim a paulinis epistulis, est allata: et ejus vim et vicissitudines exponunt Cornély in *commentario in priorem epistolam ad Cor.* (Parisiis 1909) p. 361 et Lagrange *Epître aux Romains* (Parisiis 1916) pp. 225 sq. Recentiora inventa nos docent eam ethnicis, sensu haud absimili, non fuisse ignotam.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

constitutos in periculo mortis, perinde est ac vitandus, si sit sacerdos: et in his tantummodo rerum adiunctis actus jurisdictionis utriusque fori valide et licite ponit; ceteroquin, et invalide et illicite. Fructibus officii ecclesiastici privatur.

Tertio venit *toleratus*, cui non noceat sententia declaratoria aut condemnatoria; hic sacramentis, sed non sacramentalibus, arcetur, et si sacerdos sit et active partecipet divinis, non expellitur quidem, sed illicite sacramenta et sacramentalia ministrat nisi requisitus; at si quos actus jurisdictionis ponit, non requisitus, illicite sed non invalide agit.

43. — Quilibet excommunicatus excluditur indulgentiis, suffragiis, publicis Ecclesiae precibus, ascensu ad Ordines; quod si jure fruatur patronatus, vel munera ecclesiastica assequatur, illicite semper, et, si vitandus sit aut sententia condemnatoria vel declaratoria intercesserit, invalide agit.

44. — Interdicto quaedam sacra prohibentur cum clausulis et exceptionibus quas canones 2268 sqq. enucleate describunt: *personale*, cum ossibus haereat, quocumque sequitur: *locale* loco finitur, sed omnes, advenas quoque et exemptos, tenet.

45. — Suspensio clericum non a passiva sacrorum receptione sed usu potestatis ecclesiasticae, scil. tum officio — nempe ordinis et jurisdictionis — tum beneficio — nempe fructibus, si habitationem excipias — tum ab utroque prohibet: imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, invalidos efficit actus jurisdictionis utriusque fori, suspensione interceptos, nisi positos erga constitutum in periculo mortis.

Suspensus l. s. jure communi irrogata ubique tenetur; sed per sententiam Ordinarii non prohibetur officiis et beneficiis quae forte alibi susceperit.

46. — Sed praestat vela contrahere, et ad oram regressos investigare quasnam innovationes in hoc censurarum negocio Codex tulerit.

Primo quidem inlata est distinctio inter effectus censurae l. s. ante et post sententiam declaratoriam. Antehac si quis in censuram l. s. incurrisset, eo ipso inhabilis habebatur beneficiis, officiis, dignitatibus, gratiis, rescriptis (a Romano Pontifice), assequendis, nisi clausula absolutoria, saltem ad effectum concessionis, intercederet. Cum vero saepenumero censura omnes lateret, ne Superiore quidem conferente, elargiente, rescribente excepto, quot et quantis incommodis via panderetur nemo est qui ignoret, quia beneficia, rescripta v. c. jurisdictionem specie tenus censurato tradebant. Ceterum quis censuratum coëgisset ut se proderet? Nemo ausit tantum animum vulgo opperiri. Quamquam vero benignitas Ecclesiae matris detrimento fidelium occurrebat vel clausulis ad cautelam, vel sanatorio rescripto, quae superiore praesertim tempore usu venisse abunde scimus. Hodie autem radix ipsa anxietatum amputatur; ex canonibus enim 36 § 2; 2265 § 2; 2275 § 3; 2283, collatio cujusvis muneris, gratiae et dispensationes quodvis genus a S. Sede valide censurato cedunt ante sententiam declaratoriam, imo, et post hanc, gratiae pontificiae adhuc prosunt si censurae mentio in rescriptum incidat. Infer censuratum l. s. post declaratoriam sententiam aequiparari judicialiter condemnato censura personali f. s.; utrumque, licet toleratum, vitando prope

accedere; excommunicatum nempe et suspensum a jurisdictione omnimoda, si sacerdos sit, invalide actus jurisdictionis utriusque fori elicere nisi cu periculum mortis obeunti sit subveniendum (1).

47. — *Secundo* cernimus in Codice, sapienti prorsus ratione, in unum collectas ex antiquis fontibus juris et singillatim descriptas ceteras inhabilitates ad actus legitimos (quos recitat can. 2256 n. 2). Hanc summam inhabilitatum non immerito contuleris cum interdictione a publicis officiis quae ab hodiernis codicibus, juris auctoribus ut plurimum faventibus, inter poenas seu principales, uti apud Gallos, seu accessorias, uti penes nos (C. P. a. 20) refertur.

48. — Praeter inhabilitatem ad actus legitimos, quibus excommunicatus removetur [2263], alii prostant effectus mediati censurae (2) videlicet;

a) Irregularitas ex delicto, quam incurrunt clerici exercentes ordinem, a quo per censuram

(1) An et personaliter interdictum sententia declaratoria seu condemnatoria? Anceps haereo. Codex equidem hunc requiri vetat nisi juvandis constitutis in periculo mortis [2275; cfr. 2261]; ei irritat exercitium jurispatronatus et munerum assecutionem [2275; cfr. 2265]: eum jurisdictione ad confessiones audiendas spoliat [873 § 3]; si sit parochus, eum inhabilitat nuptiis pro potestate legitimandis [1095 § 1, 1°]; at actus jurisdictionis f. e. ab eo positos universim non invalidat, ceu omnino invalidat istiusmodi excommunicatis et suspensis [2284].

(2) Praeterimus *infamiam juris*, quam ex romano jure et aliquatenus ex germanico jus canonicum recepit et sapienter emollitam [2293 § 4] Codex servavit: quia si quando censuras comitatur, non est earum effectus, et poenis vindicativis accensetur.

personalem vel per interdictum locale prohibentur [985, 7]. *Sollemne* et *illicitum* heic intelligimus exercitium ordinis sacri: qua de re consule theologos et canonistas, nam codex nihil immutavit, praeterquamquod etiam violatores poenae vindicativae irregularitati subiecit.

b) Suspicio de haeresi, in quam offendit is qui excommunicatione (non autem suspensione aut interdicto) innodatus per annum insorduerit: haud secus ac anteriori jure. Hunc oportet saltem sententia declaratoria convictum esse; alioquin quis norit supputare annum? quae suspicio ipso facto censuris l. s. aliquoties adnectitur, ut suis locis videre erit.

c) Privatio sepulturae ecclesiasticae, quae nedum vitandos, sed et personaliter interdictos [2275, 4] et excommunicatos post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam [1240, § 1, 2] afficit; non ideo suspensos.

d) Privatio beneficiorum, si ipso jure vitandos, insordescentes *in suspensione* per semestre (a fortiori, *in excommunicatione*, ne is, qui majore poena correptus magis deliquisse censetur, meliorem suam conditionem faciat) post monitionem menstruam ope sententiae afficit [2340 § 2]; imo aliquoties aliis censuris, pronuntianda tamen per judicem, adnectitur, ut videbimus.

49. — Pluribus, iisque distinctis censuris, aliquem deinceps illaqueari posse nemo est qui non videat: sed definiti juris est, tam veteris, quam novi [2244] censuras multiplicari;

a) si quis diversa delicta, quorum singula censura notantur, eadem (v. c. si prorumpens in

claustrum, monialem vulnerat) vel distincta actione (puta si fur sacras species abducat et parochum fragore accitum confodiat) patraverit;

b) si idem delictum, censura punitum, pluries, id est actibus moraliter interruptis (v. gr. bis, ter, quater ex intervallo clericum caedens) iteraverit;

c) si idem delictum, diversis censuris a distinctis superioribus, citra R. Pontificem [2247 § 1; 898], confixum semel vel pluries admiserit, scil. si Superiores, alter ex altero, dissimilis rationis censuras tulerint: puta, si religiosus, in cura animarum rite constitutus, Missam parochialem infra horae quadrantem absolvat, quod sacrilegium Episcopus suspensione ab officio, et Capitulum provinciale suspensione a sacro celebrando mulctaverint: profecto is utraque implicatur.

Et haec de censuris l. s.; ad censuras f. s. quod attinet, plura praecepta vel plures sententiae, tam ex toto quam ex parte, plures censuras irrogare possunt.

CAPUT SEXTUM

De cessatione censurae

50. — In limine alta mente repositum sit [2243]:

a) censuras *contractas* sola absolutione cessare nec aliter remitti [2236 § 1]; licet legislator, superior, iudex munere suo quomodolibet sint functi, quin etiam, licet lex posterius abrogata fuerit;

b) censuras latas sententia iudiciali, vel ad modum praecepti inflictas, et ideo *contractas*, non

suspendi appellatione interposita vel recursu: utrobique enim remedium prostat in devolutivo (1);

c) censuras comminatas tantum, sive sententia sive praecepto, et ideo *contrahendas*, non suspendi appellatione a sententia vel recursu contra praeceptum, nisi de negotio agatur, in quo jus edicat appellationem interponi cum effectu suspensivo (2).

51. — Deinde reservationi attendamus oportet, non quasi reservatio speciem censurae intrinsecus immutet, sed quia exinde jurisdictio absolventium continetur.

Censurae ab *homine* ferenti, ejus superiori, successori, delegato semper et ubique reservantur [2245]; *a jure* nonnullae tum Ordinario, tum Apostolicae Sedi (seu specialissimo, seu speciali modo, seu simpliciter) reservantur, et quidem expressis verbis, quibus standum est, restrictiva utique interpreta-

(1) Cave ne appellationem cum recursu permisceas. *Illa* inter juris remedia contra judiciales sententias potissima venit et decendio a notitia publicatae sententiae (dies *a quo*, si antehac supputabatur — cfr. S. Rotam coram Sincero die 4 Aug. 1916 - hodie non supputatur ex can. 34 § 3, 3°) gravatum opus est provocare. *Hic* negotia extrajudicialia respicit, et, nisi per modum appellationis proprie dictae proponatur, elapso decendio, adhuc prodest.

(2) Antehac canonistae docuerant a censuris comminatis appellationem provocari in suspensivo (cfr. *Monitore Ecclesiastico* XI, 403 sqq). ex c. 40 *De Appellationibus* etc. X (II, XXVIII); si qua exceptio daretur, eam haberi ubi censura jam lata fuerit sub conditione quae inde verificetur (cfr. Santi *Praelectiones j. c*[4]. Ratisbonae 1903, t. II p. 254).. Hodie non ex poena comminata, sed ex delicto, propter quod Superior poenam minitatur, inspicitur utrum ad tramites juris appellatio patefiat in suspensivo.

tione, cum in odiosis versemur: unde in dubio juris seu facti reservatio non urget (ib.)

52. — Insuper reservatio *a jure* parce est inducenda, territorio finitur, et censuram attingit (si excipiatur [894] calumniosa, scil. judicialis, insimulatio sollicitationis quae tum ratione sui, tum ratione censurae specialiter S. Sedi reservatur): idcirco quovis titulo censura deficiente vel cessante, peccatum a quolibet confessario dimittitur.

53. — Hisce praemissis, plura tum tempore, tum loco, rerum adiuncta contingere possunt quae singillatim praestat perpendere.

Ante omnia, ne inscitia sacerdotis, vel incuriosi vel crassae Minervae, detrimento fidelium vergat, si quis confessarius, reservationis etiam culpabiliter ignarus, incaute a censura absolvit, valide agit, nisi specialissimo modo S. Sedi reservetur, vel ab homine sit lata [2247 § 3] (1): nec absolutus ullo onere, puta recurrendi, gravatur.

---

(1) Valide a censura absolvit: num a peccato? Siquidem in casibus episcopalibus S. Alphonsus verius putat duplici reservatione aeque principali confligi peccata reservata cum censura: *altera* ratione sui, *altera* ratione censurae (VI, 582); *haec* delinquentes ignorantes praeterit, *illa* non item. Porro nisi aliter forte Episcopus decreverit, confessarius, facultatis delegatae expers, a peccatis reservatis invalide, in puncto juris, absolvit. *In puncto juris*, inquam, nam consulto declino quaestionem errorne communis heic suppleat imperiti confessarii jurisdictionem, quod anteriori disciplina, firmis sane rationibus et DD. patrocinio fultus, asseruerat Gennari (*Monitore Ecclesiastico* VII, 1, 83 sqq.) et hodierna vix posse videtur in dubitationem adduci [209]. Attamen ligorianae opinioni, quae nodum hunc praestat, sunt qui refragentur: idcirco in hisce censuris reservatis, ab Episcopo inductis, ait

54. — At censura ab homine illaqueatum, etsi hic alio se contulit, absolvere potest ille cui reservatur [2253, 2°]; quinam sit cfr. n. 51.

55. — A censura reservata a jure absolvit ille qui tulit, superior, successor, delegatus ejus: a reservatis ergo Episcopo vel Ordinario [2319, 2326, 2343, § 4, 2350 § 1, 2385, 2388 § 2] quilibet Episcopus vel Ordinarius subditos ubivis, peregrinos commeantes in territorio absolvit; a reservatis S. Sedi specialissime, specialiter, simpliciter, absolvit qui pollet delegata facultate specialissima, speciali, generali [2253].

56. — *In periculo mortis constitutos* a quibuslibet reservatis quilibet sacerdos expers facultatis, etiam vitandus praesente approbato (1) valide et licite absolvit [882, 2261 § 3°]: qui si convaluerint, ad ferentem, si censura ab homine irretiti erant, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve qui facultate potiatur, si censura specialissimo modo S. Sedi reservata innodabantur, recurrere et eorum mandatis parere tenentur [2252]. Recurritur autem per epistulam et confessarium, suppresso nomine (unde non licet morosos, quibus suspecta sit tabel-

---

Pagani, « quia ex reservantis mente tota res pendet, ea in primis inspicienda est; et si de ea non constiterit, reservationis ignarus jure censeri potest eam fugere; nam *contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda* ». (*Facti species et quaestiones de re morali.* Romae 1916. Pars altera n. 655).

(1) Si vero sit complex in peccato turpi, approbato forte praesenti, imo et non approbato locum cedat necesse est [884], nisi grave scandalum aut infamia timeatur, vel moribundus huic renuat confiteri [2367 § 1].

lariorum fides, molestias praetexere) intra mensem, non ab absolutione sed a valetudine restituta: secus reincidunt in censuram (1).

57. — Extra periculum mortis, in casibus occultis, nempe non deductis ad forum contentiosum, Codex Episcopis inconcussam permittit facultatem eisdem a Tridentino Concilio sess. XXIV R. concessam et a constitutione « Apostolicae Sedis » circumcisam, qua nempe a censuris possunt absolvere, modo ne specialissimo vel speciali modo S. Sedi reserventur.

Ex DD. interpretatione sufficit censuram facto adnexam occultam esse. Haec facultas, si ex jurisdictione, uti patet, dimetienda est, subditos respicit ubivis, peregrinos in territorio degentes: competit etiam Vicario Generali, quod antea canonistae negabant, quia quae Tridentinum Episcopis largitur, canon 2237 § 2 Ordinariis, ergo et Vicario Generali [198 § 1] ultro confirmat.

58. — *Extra periculum mortis* in casibus urgentioribus Codex instaurat textu unico (ut nupero loquendi modo utamur) insigne decretum S. Officii diei 23 junii a. 1886 et continuas responsiones

---

(1) Heic exaratur a Codice norma S. O. diei 30 Martii 1892, quae acrem contentionem inter theologos ortam num obligatio standi mandatis Ecclesiae, in constitutione « Apostolicae Sedis » absoluto hujusmodi a censuris specialiter R. P. reservatis imposita, reincidentiam secum ferret, nisi morbo recreatus recurreret, diremit. Hoc unum discernit antiquatam a nova disciplina; tunc onus urgebat absolutos a specialiter reservatis, nunc, invectis censuris specialissime reservatis, ab his tantum vel a censuris ab homine latis absolutos.

ulterius allatas, statuens quemlibet confessarium posse, ne censuratus grave scandalum praebeat aut infamiam gravem subeat, neve diutius (juxta DD. etiam per unum diem) immoretur in letali, eum a quibuslibet, etiam specialissime reservatis, absolvere, cum onere recurrendi intra mensem haud secus ac in specie n. 56 exposita: *illic* tamen de censuris specialissime reservatis, *heic* de quovis modo reservatis: utrobique, si sine gravi incommodo fieri possit: quod perraro locum habere potest. Enimvero num remissiorem disciplinam cogitatione effingi licet? Praesertim cum poenitenti ita absoluto in casu urgentiore (non tamen sospiti, absoluto cum versaretur in periculo mortis) patefiat cumulative via accedendi ad quemlibet confessarium facultate instructum, ab eoque novam absolutionem, iterata tamen confessione saltem delicti censura puniti, impetrandi: cujus mandatis si pareat, obligatione expeditur standi mandatis serius supervenientibus a Superiore. Si vero inopinato praepediatur quominus recurrat, confessarius absolutionem ultro impertitur, imposita congrua poenitentia et satisfactione, ita ut, nisi intra certum tempus utramque praestiterit, reincidat [2254]. Excipe si poenitens, sacerdos, complicem in peccato turpi absolverit: tunc omnino eum recurrere necesse est (ib).

Haec omnia, nedum ad casus S. Sedi reservatos, sed et ad casus episcopales posse traduci (quod antea ex verbis decreti diei 23 junii a. 1886 theologi negabant) ex perspicuo textu canonis laudati luce clarius liquet.

59. — Alia tamen supersunt de absolutione a censuris. *Primo* quidem scire interest ab una abso-

lutionem dari posse ceteris persistentibus; generaliter tamen datam nedum casus expressos sed et bona fide reticitos, nisi specialissimo modo S. Sedi reservatos, delere [2249]. *Secundo*, censuram quae correptum non prohibet sacramentis recipiendis, consistere posse, peccatis remissis; secus peccata non absolvi, nisi post censuras obliteratas [2250]. *Tertio* absolutionem in f. i. datam non semper externo prodesse; sed quandoque aut probandam esse aut externa absolutione firmandam [2251]. *Demum*, si antehac ex bulla Clementis X « Superna » alio migranti in fraudem reservationis, videlicet eo potiori fine ut proprii pastoris judicium effugiens a reservatis absolveretur ubi non essent reservata, absolutionem non prodesse certum erat, hodie paululum immutatam esse quaestionem: canones enim 900, 3 et 2247, § 2 decernunt censuratum, vel quomodolibet peccato reservato obnoxium, etsi territorio egressum et alio commeantem ad absolutionem assequendam ubi reservatio corruat, rite posse absolvi (1).

60. — Et haec compendiario de censuris in genere videbantur enarranda. Nemo autem, ut innuimus, arbitretur, ultra citraque canonum fines auctorum disputationibus marginem ultro secari. Nonnulla antea disputata, ex. gr. de reservationibus, et hodie

(1) Si tamen aciem mentis exacuas, haud ita a vetere discrepat nova disciplina. Nam si consilio fraudis alio quis discesserit, jam dubitare licet utrum animum ejus vere admissi poeniteat an aucupium absolutionis utcumque surripiendae moveat. Revera, salvo meliori judicio, species de qua bulla Clementis X et species de qua nostri canones recta non collineant.

quaestioni sunt obnoxia: et procul dubio ex ipso alveo codicis, uti fert hominum natura, argumenta novis conventionibus instaurandis theologi haurient. Ne ergo auctores tuos de re morali pulvere sordescere permittas (1).

---

(1) Jam monuerat F. X. Wernz, inter canonistas aevi nostri facile princeps « ab alio errore cavendum est, quasi novo codice publicato omnis difficultas sit sublata et omissis solidioribus studiis universa scientia canonica reducatur ad jurisprudentiam, sive practicam dexteritatem canones novi codicis memoriae retentos applicandi ad causas particulares. Vehementer errarent qui ita opinarentur ». *Jus decretalium*. t. I[3] n. 265.

DISPUTATIO ALTERA

DE CENSURIS IN SPECIE

61. — Antequam singulas censuras l. s. explicandas aggrediamur, juvat nonnulla ex historia juris canonici memoriae revocare (1). Et statim occurrit nobis Bulla Caenae, qua censurae S. Sedi reservatae legi quotannis consueverant Romae in Caena Domini (unde nomen est adepta) ab Urbano V (aa. p. Chr. n. 1362-1370) ad Clementem XIV (aa. 1769-1774) Romanum Pontificem. Perinsigne documentum, quattuor saeculorum spatio expolitum, magnam rerum publicarum subiit invidiam, praesertim postquam S. Pius V (aa. 1566-1572) severiore calamo, propulsandae temporum audaciae, illud retractaverat (2).

---

(1) Neminem enim latet quanti intersit in jure addiscendo legum vicissitudines perspectas haberi ; et quod Ovidius de judicibus cecinit :

Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quaerere .... (Tristium 1. 1)

ad juris studiosos produci licet.

(2) Bullam in Gallia jam ab altero saeculo proscriptam fuisse asseruerat petulanter dux de Choiseul, Ludovici XV regis administer in iis rerum adiunctis quibus legi Romae desiit Cfr. Theiner *Storia del Pontificato di Clemente XIV*. Mediolani 1855. Tom. II pp. 149 sqq. Sed gallicanam arrogantiam

Nonnulla profecto in hoc corpore censurarum citò exciderant (puta interdictum augendi vectigalia) quia ordini rerum immutato minus accommodata, et foedus, quo Ecclesia cum societate jungebatur, et cujus gratia constiterant, hac illac dilaniabatur. Et factum est ut Clemens XIV, qui a Bulla promulganda abstinuit, magis aetatis suae ingenio indulgere quam rebus novis permotus fuisse visus sit, et majore plausu quam par esset, injuria sit elatus ab iis qui limis oculis Ecclesiam aspicerent.

62. — Ne vero ulterius fluctuaret opinio fidelium, ingenti sarcina commentariorum onusta, et ventis sententiarum circumducta, circa singulas censuras l. s., Pius IX P. M. in limine Concilii Vaticani universam rem incudi reddiderat, et sapienti meritisque laudibus celebrata constitutione « Apostolicae Sedis » (A. S.) diei 12 Oct. a. 1869 elenchum confecit qui huc usque in jure et in scholis, paucis auctariis ditatus, et undequaque a theologis prioris subsellii explanatus, obtinuit (1). Postquam vero Pius X

---

jam comiter, pro more suo, fregerat Benedictus XIV *De synodo Dioecesana* l. IX c. V. Ad Italiam quod attinet, cfr. Friedberg-Ruffini *Trattato di diritto ecclesiastico*. Augustae Taurinorum 1893 pp. 90 - 131 ; Bertani *S. Carlo, la bolla Caenae e la giurisdizione ecclesiastica in Lombardia*. Mediolani 1888. Clemente XIII Pontefice Maximo, odia adeo exarserant, ut episcopi Capuanus et Cajetanus domi detinerentur ob affixam Bullam exedris ubi confessiones excipiuntur. Cfr. Rinieri *Della rovina di una monarchia*. Augustae Taurinorum 1902.

(1) Quidquid praestantius ab his DD. est traditum, quasi flores e viridario, collegit et composuit in primo tomo suae *Theologiae Moralis* (Novariae 1908) I. St. Zaninetti, magister meus.

Codicem totius juris digeri jussit, quem Benedictus XV, quo sospite laetamur, promulgavit, censurae l. s. denuo recognitae et haud raro instauratae (1) distribuebantur, non tamen per vices, sed singulis delictis constitutae, in tertia parte libri quinti, qui est de poenis. Et inde nos eas secernimus, in ordinem redigentes, juxta singularum species et gradum reservationis a majoribus ad minores prosecuti.

63. — Censuris in ordinem redactis, alteram ex altera, *methodo exegetica*, non systematica (ut juris antecessorum elocutionibus utamur) Dei ope evolvemus. Hac ratione, quae penitus introspicit unumquemque canonem, jubentur posthac institui praelectiones textus juris canonici (2) et hac nos utemur. Potissima norma nobis sit mentem legislatoris ex voce scil. ex lege scrutari. *Legem* enim, inquit Seneca, *brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitur vox sit. Jubeat, non disputet* (3). Disputare nostrum est cum discimus, parere cum operamur. Quoniam vero jus canonicum, sicut et cetera jura, paulatim succrevit vitali formatione (ne arbitreris illud comparari Minervae quam veteres fingebant galeatam ex cerebro Jovis prosiluisse) jus novum censurarum si vetus refert, aut cum vetere congruit, ex vetere est aestimandum [6, 2°, 3°].

(1) Censurae enim ex constitutione A. S. huc invectae plerumque emendatae et aliquantisper novatae sunt: v. c. criminum species vel prolatis vel contractis terminis ad unguem recensentur, fautores submoventur et alia id genus quae singillatim perpendemus.

(2) Decr. S. Cong. Sem. et Univ. Stud. diei 7 Aug. 1917.

(3) Ep. 94.

CAPUT PRIMUM

De excommunicationibus latae sententiae

SECTIO PRIMA

quae est de excommunicationibus specialissimo modo Sanctae Sedi reservatis

64. — Superiori jure, nomine tenus saltem, maximae inter censuras erant excommunicationes speciali modo Sanctae Sedi reservatae (1): Codex hanc seriem, quam prae manibus habemus, invexit ad atrocissima crimina compescenda et a quibus censuris specialissime reservatis nec Cardinales [239 § 1, 1°] absolvere valent, nec generalis absolutio, si crimina reticeantur etiam bona fide, nec generalis absolutio ab ignorante impartita prodest (cfr. sup. nn. 53, 59): ab his absoluti in periculo mortis tenentur, si convalescant, ad S. Poenitentiariam, vel ad Episcopum, aliumve facultate praeditum re-

(1) Re enim vera, cum vigeret constitutio A. S., absolutio a censura lata in absolventes complicem in peccato turpi excipiebatur in facultate delegata absolvendi a specialiter reservatis (ex decret. S. Off. diei 4 Aprilis 1871) necnon in bullis Jubilaei et Cruciatae; ideoque Avanzinius docuerat excommunicationem latam in hujusmodi absolventem esse *specialissimo modo* reservatam: quae elocutio passim a DD. usurpata fuit.

currere eorum mandata accepturi; secus reincidunt (cfr. sup. n. 56).

I.

Qui species consacratas abiecerit, vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit [2320].

65. — Si incidimus in mala tempora, non inaudita superiori aetati flagitia enarramus (1). Quae primum hodie gravissima censura l. s. jure meritoque plectuntur. Hanc incurrit:

1. Ille qui species consacratas *abiecerit.* Species (plurali semper numero, quia plura sunt accidentia panis et vini, sub quibus est vere, realiter, et substantialiter Christus) etiam unum fragmentum, unam guttulam dixeris. Est autem abjicere, juxta Calepinum, projicere: unde quovis sacrae species abiiciantur, sive humi, sive vicatim aut per agros disseminentur, censura incurritur. Cujus vocis vim nimis coarctare videtur Pighi asserens s. species abiici, si in locum abiectum seu vilem projiciantur. Ego quidem arbitror jam censura teneri furem qui sublata pyxide, particulas in scabello altaris spargat;

(1) Nam, medio aevo labente, cum saevo partium dixidio Graeca et Latina factio Constantinopoli decertarent, utrinque accusatio inlata est in alteram temeratae Eucaristiae: quas incriminationes veri simillimas esse historici fatentur. Videsis Bessarione mensis junii 1911. Cum haeretici, Clemente VII P. M., Urbem expilarent, nefarium facinus patravere: cfr. Pastor *Storia dei Papi ecc.* Vol. IV P. II. Romae 1912, pp. 263 sqq.; quod paulo post in Gallia calvinistae, Theodoro Beza, mitissimo inter novatores, simulatam excusationem praetexente, iterarunt: cfr. Hergenröther-Kirsch *Storia universale della Chiesa* vol. VI Florentiae 1907, p. 396.

non tamen si fundat in mensa altaris vel in ipso tabernaculo colligendas a sacerdote.

2. Qui ad malum finem *abduxerit*: non igitur si Eucharistiam sumptam clam in libro abdit, servaturus domi, immodicae devotionis causa: aut si, deficiente sacerdote, laicus Viaticum afferat moribundo, quod in necessitate licere nonnulli theologi, etiam praeclari nominis, censuerant, quorum opinio a S. Alphonso citata (1) disciplinae tot saeculis vigenti prorsus contraria est habenda.

3. Qui ad malum finem *retinuerit*: unde si Caius abducat, Titius retineat, utique ad malum finem, uterque censuram incurrit. Hodie hujusmodi exsecranda sacrilegia in conciliabulis perditorum hominum perpetrantur.

66. — Infamia juris ex eodem canone censuram heic comitatur, quae multa corollaria reo affert. Hic, si sit clericus, est praeterea per sententiam deponendus. Animadvertas denique huic censurae contrahendae praesumptionem seu ausum temerarium non requiri.

II.

Qui violentas manus in personam romani Pontificis injecerit [2343 § 1].

67. — Codex in quattuor gradus distinguit clericorum percussionem cujus hic configitur gravissima species. At quoniam singulis elementum commune subest, scil. *violentas manus injicere*, quid hoc sibi velit, semel sufficiat explorasse.

---

(1) VI, 237.

68. — Elocutio a notissimo canone Innocentii II in Concilio Lateranensi profluit quo edicitur: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum* (al. *crimen) incurrerit quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat etc.* (1), quam censuram D'Annibale autumat primam omnium ratione temporis l. s. (2), et si contextum perlucidum perpendas, miraris quod Van Espen arbitretur hanc magis ex interpretatione DD. quam mente auctoris pro excommunicatione l. s. tandem receptam et habitam fuisse (3).

Ergo ut quis violentas manus injiciat, duo simul conjurent oportet. *Primo* ut officiatur decori status clericalis; quod reipsa, etiam citra intentionem agentis (modo hic norit a se percuti clericum) evenit: itaque si Titium quis caedat, non qua sacerdotem, sed simultate actus contra aemulum, puta in hereditate adipiscenda, censuram incurrit. *Secundo*, ut personae physicae per injuriam officiatur: unde non sufficiunt contumeliae, convicia, irrisiones, minae, libelli famosi. Persona physice impetitur, ut philosophorum more loquamur, per contactum quantitatis, sive immediatum et directum (alapa, fuste, sputis, lapide, sordibus, pulvere, praedatione violenta) sive mediatum (si venenum propines, si sequestres domi vel impedias rheda aut equo euntem, vel a te in fugam actus praeceps corruat) et indirectum (si incidas vestes, aut canem in eum incites). Ergo a *physico*

---

(1) c. 29. C. XVII qu. 4.

(2) *In cnem. A. S. commentarii*[4] Prati 1894 § 108.

(3) *Ius. eccles. universum* Lovanii 1732. P. III, t. XI, c. VI, § 20.

probro speciem sumit delictum censura punitum (1). Manus autem injici dicuntur non quia necessario, sed quia plerumque istis fit impetus. Nec requiritur noxa contumeliosa ex se se gravis; nam, etsi levem, injuria in clericum cito gravem efficit. Mortalem culpam certe attingi, prout in ceteris, in hac quoque censura necesse est: quod canon lateranensis per verba illa *suadente diabolo* aperte innuerat, quae Codex praeteriit quia a nostro dicendi more desueta; at nullo jure ex hac omissione coniicies immutatam esse naturam censurae; cum clausula illa nil aliud ostenderet quam peccatum grave requiri.

Injuria abest si qua congrua causa excusat, v. c. sibi cavendi ab aggressore. Censura deficit, si quis clericum, ex DD. sententia, cum consanguinea in primo gradu turpiter agentem nanciscatur et percutiat: certe vacat si percussor ignorat clericum esse vel monachum eum quem tundit.

69. — Quaestio exarserat post constitutionem A. S. utrum nec ne, praeter percussores, etiam mandantes istiusmodi censura plecteret: aliis universim affirmantibus (Marc (2); Ciolli (3) etc.) quia decretales (4) censuram lateranensem conceptis verbis ad mandantes produxerant; aliis (D'Annibale in pri-

(1) Aliter judicatur in foro poenali laicorum: nam si ictus ex se sit levis, v. c. alapa, non percussio corporis sed *convicium honoris* aestimatur. *Cassazione unica* III, 409; *Rivista penale*, XXXVII, 150.

(2) *Institutiones morales*[9]. t. 1 § 1329.

(3) *Commentario pratico delle censure l. s.*[7] pp. 104 sqq.

(4) *Cum is committat vere, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur*: c. 6 *De sententia excommunicationis*. X (V. XXXIX).

mis) ultro negantibus quia constitutio ubi de praelatorum percussione egerat, mandantes nominaverat; ergo si circa ceteros clericos siluerat, consulto mandantes praeteriisse dicenda est.

Hodie negantium sententia roboratur ut adversa merito videatur rejicienda. Codex enim jus instaurat et si mandantes, in toto hoc argumento, alto silentio premit, non est cur theologi loquantur.

70. — Haec communia sunt singulis speciebus hujus delicti. Quod si quis in Romanum Pontificem admiserit, ex hoc canone fit vitandus, infamiam juris contrahit, et, si clericus sit, est degradandus. Tantum porro crimen sua sponte fit notorium, quod nemo dubitat.

III.

Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi...; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est [2367].

71. — Ante editas Benedicti XIV Apostolicas literas Kal. jun. 1741 *Sacramentum Poenitentiae*, communis erat theologorum sententia absolutionem a confessario complice in peccato turpi impertitam conreo validam esse: imo juxta nonnullos et licitam, modo utrumque peccati poeniteret, et periculum prorsus abesset (1). Attamen particularibus statutis jurisdictio

(1) Cfr. *De Synodo dioecesana* l. VII c. XIV, ubi DD. citantur: quibus addendus est Marchantius scribens post Sua-

in hujusmodi complicem sublata fuerat : quin etiam S. Carolus interdixerat facultatem absolvendi cujusscumque criminis socium ; donec Benedictus XIV universalem legem tulit, cujus sanctiones renovantur et ita evolvuntur in hoc canone ut effugia sagacis malitiae obstruantur.

72. — Ante omnia inquirere oportet quid importet *complicitas* ad effectum censurae. Complex est socius seu particeps criminis (1); in hac specie, contra sextum Decalogi praeceptum admissi. Necesse est igitur utrumque, confessarium scil. et poenitentem, in idem scelus concurrisse, etsi alterum active alterum passive, peccato tamen nedum interne sed et externe utrinque gravi, quamquam in genere luxuriae inconsummato. Unde si alteruter tantum deliquerit, v. g. quia provocatio incassum cecidit, vel si alteruter, etsi interne consenserit, externe tamen se moleste ferre simulaverit, vel si actio levitatis magis quam inhonestatis faciem praeseferat, licet uterque in terna libidine caleat (puta si quis puellae genas manu vellicaret) censura cessat. Nec refert utrum ante an post susceptum sacerdotium quis peccaverit : et,

---

resium, non esse jus positivum, nec divinum aut naturale, quo id vetetur: quia potest esse emendatus sacerdos et rite conferre Sacramentum: et ex altera parte potest adesse vera contritio (*Hortus pastorum*. Venetiis. MDCCXVIII, l. V. trac. V. c. II, p. 485).

(1) Aliter in doctrina et jure poenali laicorum : ubi *complex* moralem delicto operam navat, et medius est inter *conreum* qui physice cooperatur et *fautorem* qui patrato delicto posterius auxilium praebet.

Complex (quae vox serius in latinum sermonem invecta perhibetur) a Romanis dicebatur *conscius*, seu *socius facinoris*.

juxta plures, si turpis complicitas alieno peccato dirigitur, adhuc censura urget (1).

73. — Deinceps quid sit *absolvere* videamus. Est actus et ordinis et jurisdictionis; quapropter si sacerdos jurisdictione carens utcumque absolvit, actum ordinis ponit et censura illaqueatur. Ceterum haec respicit non confessarios, sed simpliciter absolventes; imo, si Benedictus XIV audentes perculerat (2), hodie ausus non requiritur: unde ignorantia crassa et supina nullo modo excusant. Sed inadvertenter absolvens probabiliter est immunis, quia ubi deficit culpa deficit et poena.

74. — Quaeres utrum jurisdictio sacerdoti sublata sit erga quaelibet complicis admissa an circumscriptive in peccato turpi. Ex responso S. Poenitentiariae diei 16 Maji a. 1877 colligitur circa hoc tantummodo jurisdictionem subduci: sed si in confessione, complici facta, peccatum turpe supponitur tanquam materia necessaria, quia nondum ab alio absolutum, vel, etiamsi ab alio absolutum, illud solum subiicitur, confessarius absolvere non valet et in censuram incidit: in priore specie, quia sine illo alia non remittuntur; in altera, quia nequit judicium ferre

---

(1) Sunt qui contradicant: inter juniores Ballerini et Noldin; sed, mea quidem sententia, subtilius quam jure. Re enim vera, si ex. gr. poenitens cum confessario pactus est se ei uxorem, filiam libidini explendae permissurum, hi negant speciem in censura contixam haberi. At, quaeso, si duo colloquia obscoena nectant, ex S. O. decr. diei 28 maji a. 1873, utique per absolutionem ab altero alteri impertitam censura incurritur: num illa conventio probrosa effugiet? Peccatum alienum, si priori cumulatur, ejus turpitudinem non imminuit.

(2) Lit. cit. § 4.

de hac culpa cujus particeps fuit. Idcirco si poenitens praeter crimen turpe jam aliunde absolutum (et ideo materiam non necessariam) alia confitetur, absolutio valet et censura vacat.

75. — Protervam delinquentium pertinaciam canon, verbum pro verbo referens responsum S. Poenitentiariae diei 10 februarii a. 1896, contundit, ubi censura mulctatur et fingens absolvere et audiens complicem collusorie reticentem.

Fictio a jurisconsultis communiter convertitur cum simulatione (1). Confessarium callide simulan-

---

(1) Audiamus Johannem Voëtium : *Fictioni non absimilis simulatio est, nisi quod fictiones juris sunt, et effectum in jure sortiuntur : at simulationes hominum magis, et effectu carere debent, ubi deteguntur.* (Commentarius ad Pandectas. Coloniae Allobrogum. 1719. I. XXII. t. III. § 20).

Aliquando tamen simulare nihil aliud sibi vult quam imitari quavis astutia postposita. Recole, si lubet, illud Horatii ;

...Et fortasse cupressum
Scis simulare (Art. poet. 19 sq).

et ejusdem

..... aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. (Ep. II,I, 240 sq.)

Nec Venusinus solus est ; nam Vergilius Aeneam inducit enarrantem :

Procedo, et parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama.....
Agnosco. Aen. III , 349 sqq.)

Quod et Ovidius imitatione consecutus videtur, cum de iisdem Aeneae casibus canit:

.....Epiros ab his, regnataque vati
Buthrotos Phrygio, simulataque Troja tenetur (Met. XII).

Nos vero non ex poëtis, sed ex jurisconsultis et communi loquendi ratione vocum vim metimur.

tem DD. eximebant a censura, sed responsum Sac. Poen. diei 1 Martii a. 1878 et hunc non effugere declaravit. Hodie definiti juris est. Simulat profecto, sive animo excludat absolutionem quam verbo tenus profert, sive verba absolventia aliis intermisceat, vel obtruncet, ita ut sensus evanescat, vel aliis ad rem impertinentibus, puta, oratione, substituat. Hoc alterum negat Pighi: at, meo quidem judicio, vix inter utramque simulationem discernis: nempe utrobique fictio proprii nominis habetur et poenitens ex aequo decipitur (1).

Postulat hic locus ut dicamus de silentio poenitentis. Et si fuerit prorsus inculpabile, aut culpabile ex parte solius poenitentis censura vacat: quia *illic* absolutio crimen turpe directe non attingit, *heic* obmutescentis pravae voluntati sacrilega confessio vertitur. Quid, si confessarius taciturnitatem poenitentis animadverterit? Adhuc putant DD. eum censura non teneri, quia directe peccatum non absolvit. Quod ex contextu canonis confirmatur, quo silentium poenitentis censurae viam aperit, tantummodo si ex condicto, sive directo sive indirecto, cum sacerdote teneatur, scil. si sacerdos seu ante confessionem seu in actu confessionis poenitentem praeterire crimen turpe, etiam subobscure, iusserit, consuluerit, impulerit, aut rogatus respondere abnuerit, aut docuerit illud posse silentio premi, vel prope confitentem cito interruperit.

76. — In articulo (seu periculo, ex DD. interpretatione) mortis constitutum complex licite absolvit

(1) Ceterum, perlege dubium ab Episcopo Ruthenensi propositum, et ab allato responso S. Poen. solutum (cfr. *Monitore Ecclesiastico*, II, III, 120).

et censuram evadit, ubi concurrunt adiuncta in canone recitata, et satis perspicua, quae explicationis vix indigent. Nempe licite audit, si alius sacerdos adsit, sed suspensus, aut superveniat inchoata confessione; quam ab *illo* excipi, vel *hoc* adventante abrumpi infamia complicem adspergit.

77. — Alia nonnulla in hoc salebroso argumento DD. subiiciunt. Num infamiae vitandae aut scandalo repellendo extra periculum mortis complex absolvere possit, sunt qui affirmative respondeant; rectene sapientiores viderint. Illud extra contentionem est, sacerdotem posse confessionem incoeptam perficere, in dubio utrum complex letaliter peccaverit nec ne, vel num poenitens revera sit suus complex, vel, si cum ignota peccaverit, hanc casu ex alterius confessione dignoverit (ne scil. sigillum violetur) vel si ignotus, puta laicali veste indutus, cum muliere peccaverit, et grave nimis esset nunc turpitudinem suam transactam prodere.

IV. -

Confessarius qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit [2369].

78. — Anteriori jure violatorem sigilli, si quis esset, opus erat deferri, sed nulla poena l. s. percutiebat; quamquam vero, Benedicto XIV R. P., rumores oborti sunt quosdam lusitanos docere fas esse et exquirere nomen complicis et uti notitia confessionis (1). Hodie in codicem gravissimo delicto in-

(1) Fuerintne veridicae hae accusationes adhuc latet: qua de re confer quae enarravit Ferreira Deusdado in commentariis *Revue Néoscolastique* mensis Augusti 1898. Doctrinae

vecta est gravissima censura, cujus singula verba enodare praestat.

79. — *Confessarius:* licet nulla jurisdictione instructus fideles audierit, cum nulla sit ratio cur hunc temerarium ab hac censura eximamus. Non ideo ea tenetur laicus qui, nolens volens, confitentem audiit; non interpres; non qui cartulam scribentis peccata surripuit aut amissam invenit et oculis lustravit: etsi hi omnes, si pandant audita, lecta, graviter peccant et poenis f. s. sunt obnoxii.

Qui sigillum sacramentale: scil. materiam sigilli quam omnes theologiae cultores multiplicem esse norunt, vel directam, vel obliquam. *Primo* quidem cuncta et singula peccata, etsi levissima, etsi mere materialia, et in actu confessionis admissa. *Dein* quaslibet circumstantias, licet impertinentes, a poenitente peccatis exponendis additas; scrupulos, satisfactionem impositam, nisi sit de minimis, imo et naturales defectus qui declarantur in ordine ad confessionem. Non tamen ea quae obiter confessioni interpolantur et cum ea nullo pacto junguntur v. c. si confessarium advenam docueris sollemnia perendie peragi, vel si defectus poenitentis primo cujusvis obtutu patefiant; v. c. eum claudicare vel lippum oculis esse.

Directe violare: videlicet si poenitens ex ejus evulgata, etsi uni tantum, confessione indicetur; idcirco non incurrit censuram confessarius, licet increpandus et poenis dignus, si indirecte revelet,

---

sarciendae et paci restaurandae Benedictus XIV, praeter alias, bullam *Apostolici Ministerii* die 8 decembris a. 1749 promulgaverat: at serius controversia exarsit.

nempe, si ex agendi, loquendi, imo et tacendi ratione suspicionem probabilem ingerat alicujus poenitentis, cui exinde gravamen aliquod reipsa inferatur: nec incurrit, si utatur illegitime notitia confessionis.

Praesumpserit: qua de re cfr. superius n. 32.

V.

Delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt [2330].

80. — Excommunicationes in haec delicta latae specialissime reservatis accensentur cum a nullo, ne a Majore quidem Poenitentiario, cujuslibet facultatis vigore, praeterquam a R. Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possint (1). Quas ne summis quidem digitis enumerare libet, cum nostra, qui parochi sumus, non intersint: et quas juridice explicabit abunde, qui conclavium historiam fuerit scrutatus (2).

---

(1) Ex Constitutione *Vacante Sede Apostolica* diei 25 Decembris 1904, § 51.

(2) Cfr. Eisler, *Das Veto der Katholischen Staaten bei der Papstwahl*. Vindobonae 1907; opus numeris omnibus absolutum et elucubrationem perpolitam Adulphi Giobbio *L'esercizio del veto d'esclusione nel Conclave* in commentariis *Scuola Cattolica* mensium junii et julii a. 1897; praeter nonnullas scriptiunculas singulis conclavibus enarrandis, ne paenultimo quidem excepto, de quo lege, si lubet: *Les derniers jours de Léon XIII et le conclave de 1903, par un témoin* in *Revue des Deux Mondes* diei 15 Martii a. 1904.

SECTIO SECUNDA

quae est de excommunicationibus speciali modo Sanctae Sedi reservatis.

81. — Ab his qui nulla facultate instructus absolvere praesumit, nisi in adiunctis de quibus nn. 56, 58 egimus, excommunicationem simpliciter reservatam ipso facto subit. Absoluti tamen in periculo mortis hodierna disciplina non tenentur Superiorem adire, sed satis est ab eis servari de jure servanda.

I.

Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici [2314].

82. — Anteriori jure eadem censura, in constitutione A. S., haereticorum fautores, receptores, ac quoslibet defensores percellebat: hodie non item.

Apostatas, haereticos, schismaticos (*illos* omnes tantummodo, *istos* et *hos* omnes et singulos canon recenset: quia et *hi* et *isti* coalescere consueverunt; *illi* soli ab Ecclesia vagantur) discriminabis ex notis descriptis a canone 1325, § 2, qui tamen haereticos apostatis praeponit. Hi omnes ab Ecclesia descivisse perhibentur post receptum baptismum; secus infideles sunt in infidelitate perseverantes. Baptismus porro, etiam ab haereticis rite collatus, verae Christi Ecclesiae ex se inserit.

83. — *Si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et ca-*

tholica credendis denegat aut de ea dubitat haereticus *est.* Ubi attende:

Nomen retinens christianum: a quo si se abdicaverit, apostata est.

Pertinaciter: ideo si aut errores effutiat, inscitia laborans, aut dubia doctiori supponat, paratus, saltem habitualiter, se subiicere Ecclesiae judicio, a censura est immunis.

Aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis: recole hic quae in Prolegomenis Theologiae Dogmaticae traduntur, ubi de Magisterio Ecclesiae disputatur, ad quod pertinent *primario et ratione sui* res fidei et morum quae in deposito catholicae revelationis formaliter explicite aut formaliter implicite continentur (1). Scilicet, ut verbis Concilii Vaticani (2) utamur, *fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.*

Ideo si denegatio versetur circa obiectum *secundarium,* nempe circa veritates in se non revelatas quae tamen requiruntur, ratione connexionis, ut revelationis depositum sartum custodiatur, nec haeresis, nec ideo censura concipitur. Puta, si quis principiis ex philosophia deductis sed arcto vinculo cum dogmate connexis, aut veritatibus virtualiter contentis in obiecto primario magisterii ecclesiastici, aut factis dogmaticis refragetur (3): item si quis *pro*

---

(1) Cfr. Billot, *De Ecclesia Christi,* Th. XVIII.

(2) Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum* n. 1792.

(3) Etenim hoc obiectum secundarium apte trifariam distinguis; *primo* quidem veniunt placita philosophica quae dog-

sententiis citra notam haeresis damnatis, aut *contra* veritates nondum sollemniter definitas decertaret, procul dubio peccaret, sed haereticus inde non habetur.

Negat: actu externo (cfr. n. 35), v. c. verbis prolatis, etiamsi nemo audiat, scripto, adhaesione sectae vel frequentatione coetuum haereticorum.

Aut de ea dubitat: nutatio quippe impetit auctoritatem Dei revelantis aut infallibilitatem Ecclesiae proponentis, scil. obiectum formale fidei.

84. — *Si quis a fide christiana totaliter recedit*, apostata *est.*

Hunc dicemus qui in schedula census se nulla religione imbui professus est; qui liberos baptismo ablui vetat: qui plene conscius socialismi placita undequaque complectitur; qui nuptias mere civiles, christianum matrimonium flocci faciens, init.

85. — *Si quis subesse renuit S. Pontifici* (qua tali, non si aestu factionum aut praejudicata opinione carpat R. Pontificis edicta, praesertim de re plus minusve politica) *aut cum membris Ecclesiae ei su-*

---

matum cognitioni inserviunt; *secundo* veritates religiosae nec explicite, nec formaliter implicite in revelatione contentae (v. c. illationes); *tertio* facta dogmatica, quae rursus, cum Franzelin (*De Traditione*, Th. XII, Scol. I), tripliciter dispesci possunt; vid. tum judicium de genuino sensu textuum humanorum in determinatis libris et heic habemus facta dogmatica proprii nominis (in memoriam revoca cavillationes jansenianas, quibus contundendis Alexander VII P. M. formularium condidit: cfr. Denzinger-Bannwart cit. nn. 1098 sqq.); tum facta hagiographica seu disquisitiones de vera sanctitate eorum qui in sanctorum indicem referuntur; tum facta historica v. g. legitima celebratio determinati Concilii.

biectis (utique universis, secus aut oboedientiam aut caritatem violat) schismaticus *est.*

Unum, quod quidem sciam, exemplum sectae schismaticae quae ex se non fuerit simul haeretica, historiae recentis aevi tradiderunt : scil. gallicanam ecclesiolam (petite église) abnuentem a Concordato inito inter Pium VII P. M. et Rempublicam : cito elanguit et hodie penitus aruit (1).

II.

Opere publici juris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant ; itemque eosdem libros, aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes [2318].

86. — Cum *editores* et *fautores* eodem canone mulctentur, binas hujus partes seorsim evolvemus, singula incisa perpendentes.

Opere publici juris facto.

Liber fit publici juris cum legentibus prostat : si in officina librarii, etsi absolutus, adhuc servatur, censura non exsurgit.

Editores.

Quinam sint, ex lege, qua conventiones id genus instituuntur, dignoscamus. Editor proinde is habetur, qui, medius inter auctorem et lectores, cum *illo*

(1) Nec opponas forte definitionem Concilii Vaticani ; siquidem haec, ait Billot, restringitur ubique ad solum infallibilitatis charisma, quod se habet ut summae potestatis attributum et proprietas : imo vero nequidem adaequate de hac infallibilitate tractat, praesertim cum de infallibilitate in rebus disciplinae nihil enuntiet, *sed ad res doctrinae tota deferatur* (*De Ecclesia Christi,* Th. XXXI).

paciscitur ut librum *illius*, suis alienisve typis excusum, *his* evulget. Argute Keiter asseruerat libri cujuslibet auctorem quidem esse patrem, et editorem esse matrem (1). Editor autem alter esse potest ab officinatore librario qui formas et laborem locat, alter a bibliopola qui librum editum venum dat; quin etiam auctor ipse editor fit, si, typographo nudam operam praestante, librum suis sumptibus in publicum profert, totum commercii commodum et periculum in se suscipiens. Per constitutionem A. S. et typographi censura innodabantur. Hodie aliter judicandum est, et, praeter editorem, nemo attingitur. Cui editori, ex lege et ex conventione, sua jura et officia consistunt. Quoniam vero moribus nostris societates libris edendis multifarie et ex multis coalescunt, stipe conlaticia, quarum regimen delectis institoribus concreditur, ceteris sociis quid agatur ignaris (quos tantummodo, pro pecunia comparata, lucra quasi foenora manent) an et singuli hi socii censuram incurrant? Pighi affirmat sed absonum videtur.

Librorum.

Libros intelligimus, unum aut plures, typis impressos, non ideo manu scriptos, cujusvis molis, modo ne adeo modicae ut folia et diaria magis dixeris. Quae vulgari solent aut cotidie aut certis temporibus vel ephemerides sunt vel commentarii: *hi* magis quam *illae* in volumina concrescunt; quapropter *hos*, si haeresim propugnant, qui legunt in censuram incurrunt (S. Off. die 16 jan. 1892), *illas* non item (S. Off. die 27 apr. 1880).

---

(1) Penes Fonck *Il metodo del lavoro scientifico*. Romae 1909, p. 274.

Liber aliter quam arte gutenbergia excusus, v. c. lithographice aut dactylographice, profecto censura continetur, si ita in vulgus emanet, seu gratis seu persoluto pretio, ut publici juris dici possit. Re enim vera et librum lithographice editum S. Off. in indicem referri jussit Kal. aug. a. 1917. Secus, si amicis, etiam pluribus, mittatur.

Toto hoc argumento non refert si liber nondum inter prohibitos relatus sit.

Apostatarum, haereticorum et *schismaticorum.*

Hos novimus ex proxime superiore censura.

Qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant.

Utique data opera; non item si obiter et per transennam tueantur aut si haeresim confuse sapiant et redoleant. Ex aequitate DD. excipiunt libros haereticorum primae aetatis qui potius monumentis historicis accensentur.

87. — *Item eosdem libros, aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes.*

Ad *fautores* gradum facimus. Praeter libros de quibus modo egimus, sunt et libri literis apostolicis nominatim prohibiti. Literae apostolicae heic, ex communi DD. interpretatione, quaelibet scripta nomen R. Pontificis, quasi mittentis, referentia, ideo et Bullas et Brevia indicant. Si vero a Congregatione S. Officii, quacum a die 22 Martii anni 1917 copulata fuit Congregatio Indicis, libri damnantur, iam non censentur per literas apostolicas prohibiti; nisi forte (ex argumento post responsum S. Officii die 16 jan. a. 1892) *jussu R. Pontificis* S. Congregatio librum nota inusserit, prout v. c. decreto Kal. Febr. a 1912 quo fabula quaedam milesia jussu Pii X P. M. in indicem est relata.

Nominatim.

Scil. si singillatim titulus libri exponitur; non vero si auctor aut auctoris scripta in universum damnantur.

Prohibitos.

Et si prohibiti fuerint ante codicem, imo et post editum codicem si qui hac ratione prohibeantur, etiam nulla adiecta excommunicationis mentione, arbitror ego illos hac censura contineri. Haereticos, quaeso, libros si quis legerit, etiam nullo judicio Ecclesiae perculsos, in censuram incurret; nemo dubitat: libros conceptis verbis per Apostolicas Literas vetitos legens, nisi haec censura in literis occurrerit, cur effugiet? Certe nil aliud exigit canon, praeter literas apostolicas nominatim prohibentes. Etenim si censura jam per literas fertur, quorsum hic canon?

Sed quoniam DD., D'Annibale praeeunte, explanantes constitutionem A. S., in hac pericope cum canone nostro consentaneam, requirunt prohibitionem sub excommunicationis poena (quae si lata fuerit ante codicem, jam antiquata hodie habetur; si post codicem, feratur, semper reservationi obnoxia, ex eodem D'Annibale, subintellegitur) eorum judicio acquiesco.

Defendentes.

Librum defendit qui doctrinam laudibus extollit aut quovis modo ejus patrocinium suscipit; non item si nitorem scribentis commendat, nec, quicquid alii dicant, si codicem libri defendit v. g. impediens quominus igni tradatur.

Aut scienter sine debita licentia legentes.

Scienter (qua de re cfr. n. 32) legit sermonis gnarus: secus oculis lustrat. Et si legentem audit, DD. a censura eximunt, subtilius forte sed ad apicem juris, cum in re poenali versemur, restrictivae interpretationi obnoxia. At paucas lineas, vel unam paginam, veneno erroris non infectam, legere parva materia putatur.

Vel retinentes.

Sive domi suae, sive alienae, nisi dominus deponat apud licentia instructum, nec reposcat antequam et ipse licentia fruatur. Etiam librum alienum hujusmodi, tibi commodatum, si retineas, in censuram incidis; nec refert si non legas, imo si legere nescias et abdas. Solent DD. excusare bibliothecae praefectum et contectores librorum: *ille* non sibi, *isti* perfunctorie retinent.

III.

Ad ordinem sacerdotalem non promotus si missae celebrationem simulaverit, aut sacramentalem confessionem exceperit [2322, 1°].

88. — Duo delicta huc veniunt quae flagitiosi homines aliquando committunt, pecuniae aucupandae, fraudis moliendae, aut insulsissimae levitatis causa. Missam simulat laicus vel clericus nondum sacerdotio auctus (idcirco ab hac censura sacerdos semper est immunis, licet vitandus, licet specie tenus celebret, reticitis verbis consecrationis) si ea praestet quae loco, habitu, caeremoniis, omnium oculis ut Missae ritus habentur: nec obest censurae si verba consecrationis, extremo pudore imbutus,

non proferat. Censura autem non tenetur si histrionum more personam sacerdotis celebrantis in scaena vel extra scaenam agat: quia nemo decipitur.

89. — Eadem prorsus ratione censuram subit laicus, vel clericus ut supra, qui poenitentem deceptum audit, quamvis huic deneget absolutionem; non item si sacrilegas nugas ex condicto instituant excipiendae et peragendae confessionis; neque si laicus, deficiente sacerdote, moribundum sibi serio peccata enarrantem audiat, si uterque hunc morem, Medio Aevo late inductum et paulatim eliminatum (1) falso putent vices gerere sacramentalis confessionis.

90. — Laicos et clericos ita delinquentes aliae poenae manent f. s.

IV.

Omnes et singuli cujuscunque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore existentis ad universale concilium appellantes [2332].

91. — Hanc excommunicationem codex a constitutione A. S. est mutuatus, productis terminis sed demptis complicibus et fautoribus. Inspiciamus primo quid sit appellatio, dein quem, a quo, ad quem appellare oporteat, ut in censuram incidat.

92. - Appellatio est *provocatio ab inferiore judice qui sententiam tulit ad superiorem* [1879]. Sed latius patet: nam nedum a sententiis et mandatis parti-

(1) Cfr. Laurain *De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence.* Parisiis 1897.

cularibus, etiam si quis appellaverit a legibus seu statutis generalibus (quod anteriori jure ex verbis cit. constitutionis DD. negabant) censura comprehenditur. Momentum consummativum appellationis exsurgit simul atque fertur (cfr. N. 38), licet necessario incassum cedat. Haec attentatio primatum R. Pontificis adoritur, et si conceptis verbis denegat, cumulat huic censuram in haereticos latam.

93. — Ne cardinalitia quidem aut regalis dignitas (cfr. N. 23) ab hac eximunt: canon et *episcopos* nominatim complectitur, non quasi episcopi a ceteris excommunicationibus sint immunes: sed quia, praeter excommunicationem singulis, heic interdictum (de quo, suo loco, dicemus) collegiis infligitur, si forte episcopus alicui collegio adsciscatur, et ipse interdicto tenebitur.

94. — Appellatio fit a R. P. qua tali: non qua Urbis Episcopo vel qua rege. Et si quis appellaverit a Congregationibus Romanis, distinguendum puto: si ab earumdem decretis, quae jussu R. Pontificis formaliter eduntur, vel ab Eo rata, Ejus jussu promulgantur, in censuram incurrit, secus non item. Incisum illud *pro tempore existentis*, juxta D'Annibale, requirit R. Pontificem nondum diem obiisse: quod mihi, si quid opinor, est difficile, nam mors Pontificis Ejus edicta non facit irrita, nec primatum Romanae Sedis enervat (1).

---

(1) Nec assequor cur ibi (Comm. § 47) Eminentissimus Auctor provocet ad c. 10, § 1, *De privilegiis* in VI (V, VII), nisi quod brochardicum *verba aliquid operari debent* inde sumat cui consonat l. 5 § 2 D. II, VII.

95. — Appellatio interponitur ad Concilium Oecumenicum, sive praesens (quod antea ex verbis constitutionis, in canone nostro derogatis, DD. negabant) sive futurum : non ideo censura incurritur, si, perridicula detrectatione, provocetur ad Concilium nationale seu provinciale, aut ad Universitatem studiorum, aut ad primores ecclesiarum dissidentium.

V.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, vel eorum causa, sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes [2333].

96. — Canon tres delinquentium ordines substringit, iisdem verbis - parce detortis - quae in Constitutione A. S. (1, 8) habentur: ideoque ex ejus commentatoribus, quasi post messores, spicas pro more nostro manipulis legemus.

97. — *Recurrit* actor, non conventus qui exceptionibus, forte frustratoriis, libellum citatorium impetit: ideo ut quis censuram subeat, opus est eum *movere* disceptationem, apud laicam potestatem. Quaenam sit haec laica potestas si quaeris, arbitror quamlibet accipiendam esse, sive politicam, sive legislativam, sive administrativam, sive judicialem, sive coactivam: nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: undequaque enim supremae jurisdictioni et immunitati Apostolicae Sedis injuria fit. Nec liquet cur D'Annibale quaestores, magistros militum, syndicos potestati laicae, quasi jurisdictione non pollentes, non accenseat: hoc fortasse ex veteri jure constitutivo rei publicae;

sed jus publicum aevi nostri in distinctione (quam divisionem minus recte appellant) jurisdictionum seu potestatum totum fulcitur. Si tuus aemulus, ex. gr., ne beneficio potiaris per Breve Apostolicum tibi collato, exagitat laicam potestatem ut tibi denegetur Regium Exequatur, quid interest utrum ad syndicum an ad praefectum recurrat? Uterque enim Regni administrum sollicitare potest. Recursus autem fit ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica: intellige et ea quae a SS. Congregationibus (S. Officii diei 16 jan. 1892). An et sententias judicialiter latas a S. R. Rota et ab amplissimo Signaturae ordine? Utique, quia si post pianam reformationem, inductam a Constitutione *Sapienti Consilio*, et serius expolitam a Benedicto XV P. M., functiones directivae Curiae Romanae a judiciariis diremptae sunt (prouti provecti mores postulant, quibus hodie officium rei publicae administrativum a judiciario penes excultas gentes tum operatione, tum organis distinguitur) haec duo Tribunalia forensem provinciam R. Curiae describunt et ante SS. Congregationes e regione se sistunt. Legatorum quoque S. Sedis edicta si quis attentet impedire, hujus canonis censura tenetur: an et Delegatorum, ceu expresse in Constitutione A. S.? Quamquam vero Delegati hic non enunciantur, eos reor adhuc comprehendi, quia Legatorum nomen genericum Nuntiis, Internuntiis, Delegatis est commune [267]. Titulus Legati Apostolici alicui Sedi Episcopali adnexus nomen est sine re [270].

98. — Secundo veniunt *directe vel indirecte prohibentes* actorum, de quibus supra, promulgationem vel exsecutionem. A promulgatione rite peracta robur

exserit quodvis Superioris edictum [8 § 1]. Quia vero leges Apostolicae Sedis Romae promulgantur in Actis in Urbe editis [19], si quis, ceu in Russia olim factum est, viam huic commentario occludat, ex hoc titulo in censuram non incurrit. Ante acta promulgata, aliquid moliri, v. c. per officiales R. Curiae aut per Legatos Rerum publicarum apud S. Sedem ne acta edantur, a censura est immune quia nondum dicuntur profecta quae maturescunt in dicasteriis. Prohibet autem sive promulgationem sive exsecutionem is quis sive directe sive oblique, sive per se sive per interpositas personas, obsistit: et ex proprietate verborum nedum is quis publica, sed et qui privata potestate utitur: quod postremum nonnulli negant, ita ut in dubio juris (cfr. n. 34) versemur. Nec prohibere sensu stricto concipitur is qui officium renuit pro munere praestandum exsecutioni: v. c. Ordinarius clerico denegans beneficii possessionem ei a S. Sede collati.

99. — Tertio veniunt *laedentes et perterrefacientes*. Laesio, ex Carrara, juris poenalis cultore strenuissimo, accipitur injusta damnificatio corporis (non ideo bonorum) citra homicidium et homicidii intentionem (1). Territio minis consistit, iisque atrocibus, quae obnitentis animum frangant: et recte D'Annibale, praeter verba, facta non requirit, quae veteres canonistae exigi falso autumabant ex c. 1 *De officio judicis delegati* X (I, XXIX) et ex explosa

(1) Jure tamen poenali hodierno (cod. it. a. 372; cod. austr. a. 152) plerumque laesionis nomine veniunt et delicta quae *intellectum* laesi perturbant.

etymologia vocis (1). Laeduntur autem et territantur sive ii ad quos pertinent acta vel literae, vid., si quid opinor, tum is qui mittit, tum is ad quem mittuntur (quos constitutio A. S. evidentius recensuerat « *sive ipsas partes* »), tum is qui inter utrumque ratione officii stat, v. c. tabellio, exsecutor: sive alii, consanguinei ex. gr. procuratores, veredarii, agentes, semper tamen *eorum causa*.

100. — Explanato canone, quaestio prodit magni momenti: utrum hi omnes ordines delinquentium censuram contrahant ante effectum secutum necne. Si effectus etiam brevi tempore exsurgit, etsi cito subvertitur (puta si assequaris ut R. Exequatur bullae provisionis *aliquantulum* differatur) censura procul dubio incurritur. Ceterum, antequam recursus prohibitio, laesio, vel territio effectum pariant, DD. ex adverso comminus digladiantur vel universim, vel partim, hinc affirmantes censuram contrahi, illinc negantes. Et quoniam utrique eadem argumenta plus minusve recinunt, haec penes commentatores constitutionis A. S., si lubet, in promptu sunt. Quaestionem authentice dirimere solius Legislatoris est; stante dubio juris, effectu nondum secuto censuram vacare putabimus.

(1) Scil. locus Decretalium: *minis ac terroribus silere compellant* endyadim redolet: et vox *territio* non a *terra* sed aliunde ducit originem. Cfr. Canini *Etudes étymologiques* Augustae Taurinorum 1882 p. 179: Pianigiani *Vocabolario etimologico della lingua italiana* Romae 1907 vol. II p. 1426. Ceterum, in ipso processu criminali superioris aetatis *territio* nedum verbalis sed et realis a quaestione *(tortura)* prorsus discernebatur et comminatione continebatur. Cfr. *Civiltà Cattolica* s. XI v. I, pp. 218 sqq.

VI.

1° Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae edunt;

2° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem [2334].

101. — Heic quoque canonis contextus ex Constitutione A. S. struitur (1, 6-7) sed expolitius complectitur duos ordines impetentium jura Ecclesiae.

102. — *Primo* quidem obviam imus edentibus leges, mandata, decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae. Leges ferunt qui suprema rei publicae gubernacula tenent: penes nos oratores a populo delecti, senatores, rex. Nec opponas, ceu quibusdam placuit, leges ferri non a singulis, sed, a collegio quod suapte nanatura excommunicationem effugit [2255 § 2]: nam, cum aevo nostro imperium populare ubique vigeat, nullus fere erit qui hanc censuram contrahat, et supervacaneus esse canon: cum e contrario *jura constitui oporteat ex his quae plerumque accidunt* (1). Ceterum in systemate poenali juris canonici delinquentes alicui collegio adscripti a non delinquentibus probe discernuntur [cfr. 2276]. Mandata singulis, decreta universis feruntur: *illa* in constitutione A. S. desiderantur (2) et in hunc canonem invecta hodie leguntur: *his* contineri et judicum sententias d'Annibale negat; et jure prorsus, cum *sententiae se-*

(1) Cfr. l. 3 D. I, III.

(2) Quin imo nec in c. 19 *De sent. excomm.* X (V, XXXIX), unde haec censura ortum duxit, ea legimus.

cundum leges proferendae sint (1). Nec interest utrum primores an minores magistratus mandata seu decreta ediderint: ideo v. c. si pagi magister seu syndicus sua sponte vetuerit pompam duci extra templum hac censura innodatur; non vero si legem superioris, forte iniquam, servari jubeat. Libertatem et jura Ecclesiae ex tractatu juris publici ecclesiastici dignoscimus. Suprema jura sunt ubique praedicandi (jus territoriale), finem suum prosequendi (jus constitutivum secundarium), ministros deligendi, fideles edocendi, bona acquirendi, libere communicandi, immunitatis fruendae.

103. — Haec de edentibus: quae sequuntur, de *impedientibus* exercitium jurisdictionis ecclesiasticae. Fautores, recensitos in constitutione A. S., canon praeterit, quare brevior prostat via. Jurisdictio cum regimine convertitur [196]: et utrumque forum complexa ordinario vel delegato jure exercetur. Exinde si impediat quis exercitium magisterii aut ordinis, censuram evadit, licet potestas magisterii ab ipsa potestate jurisdictionis adaequate non distinguatur (2). Impedire est legitime (non autem illegitime) exercenti obicem afferre: non item cogere nolen-

---

(1) Cfr. l. 11 C. III, I: proinde sufficit legum latores percelli.

(2) Cfr. Billot *De Ecclesia Christi* Qu. VIII, § 2: attamen idem em.us auctor § 3 subdit: *si ibi est* (in magisterio scil. et jurisdictione) *specifica obiectorum distinctio, oportet etiam esse specificam, adeoque et realem potestatum distinctionem quamquam tanta sit tamque intima consociatio magisterii cum jurisdictione in rebus fidei, ut duo haec per modum unius non immerito considerentur.* Unde nimis severe Tarquini (*Juris ecclesiastici publici institutiones.* Romae 1898 p. 2) reiicit tergeminam sectionem ecclesiasticae potestatis.

tem, aut jurisdictione functum exagitare. Si ergo patronus urgeat Episcopum ut rudi clerico beneficium conferat, aut si praetermissus in concursu Episcopum molestiis perturbet quia paroeciam digniori adiudicaverit, censura abest. Directe injuria fit in ipsum jurisdictione potitum: indirecte in ejus familiares, delegatos, consanguineos, affines hoc nostro codice supputatos. At necesse est obstacula opponi publica, non privata, auctoritate, secus ac anteriori jure constitutionis A. S.: ibi enim particula *et* innexa apte a DD. sensu disjunctivo explanabatur, ita ut tam privatim quam per magistratus impedientes censura plecterentur (1). Hodie vero, sublata illa particula, canone nostro muletantur ii *qui impediunt recurrentes*. Ex adverso, si constitutio A. S. ancipiti elocutione *forum saeculare* adiri vetuerat (certantibus theologis utrum ad magistratus qui forum non habeant haec porrigeretur) hodie edicitur ad quamlibet laicalem potestatem recurrentes excommunicatione innodari.

Liquet autem eos censura non obstringi, nisi effectu, etsi paulisper, secuto.

---

(1) Siquidem in ea legebamus: *impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, sive i. sive e. fori*: et ad hoc *recurrentes etc.* Miror quod Pighi discrimen non animadverterit: qui tamen non satis sibi constat, cum paulo inferius doceat obstaculum ponendum esse *per recursum:* nec ego indignor si quandoque bonus dormitat Homerus.

VII.

Qui contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad judicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel legatis sedis apostolicae, vel officialibus majoribus romanae curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel ordinarium proprium [2341].

Porro canon 120 edicit:

Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.

104. — In privilegio fori versamur, ubi lex poenalis nostra disciplinam anteriorem haud abunde perpicuam sufficit, et sanctiones in gradus distinguit, ceu in privilegio canonis. Tria heic in limine veniunt perspicienda: viribusne destituantur jura particularia, privilegio, consuetudine, aut concordatis fulta; quid adamussim sibi velit privilegium fori; et quinam habendus sit judex laicus.

Primae quaestioni satisfacit luculenter, praeter normas generales juris [4 et 5], canon citatus 120, § 1, qui est de privilegio fori, innuens privilegium circumcidi et cohiberi sicubi forte aliter, et quidem legitime, provisum fuerit. De privilegio et de consuetudine nulla ulterior disputatio exsurgit: at circa concordata dubium exoritur utrum laicis in favorabilibus prosint, postquam res publica, rupto foedere cum Sede Apostolica, ea pessumdedit. Sententia theologorum est ea, quantumvis contra jus conscissa, nihilo secius, ceu *beneficia Principis quae decet esse mansura* (1), ad fideles quod attinet robore

(1) Reg. XVI jur. in VI. Heic oblique attingimus disceptatam controversiam de natura concordatorum, de qua consule Giobbio, *I concordati*. Modoetiae 1900, pp. 23-82. Quidquid

non destitui; ideoque privilegium fori dimetiendum esse ex concordatis olim initis (1).

Secundo, si quaeras utrum privilegio fori auctus possit citari tanquam testis, incunctanter asserimus eum posse, secus ac in anteriore proxima disciplina (S. Off. 11 jan. a. 1912); nam codex vetat illum conveniri tam in civilibus quam in criminalibus: convenitur autem reus, sive debendi, sive criminis. Ceterum, hac de re, si privilegium cupis undequaque versare, adi canonistas, qui singulas facti species v. c. reconventionis, connexionis causarum, si controversia antecesserit adlectionem in clerum etc. perpendunt.

Demum citra controversiam est aliud esse ad judicem trahi, aliud ad quamlibet aliam laicam potestatem (praeter speciem censurae quae proxime huic praecedit) quae forum contentiosum vel criminale proprii nominis non habeat, provocari. Idcirco si clericum corripiendum cures per praefectum, quaestorem, syndicum, censura abest. Quin etiam judicem hic accipimus jurisdictione *judiciali*, non item *censoria* (2) aut *voluntaria* fungentem: unde si ex. gr. clericum per praetorem compellas ut munus consiliarii orphano instituendo suscipiat, censuram vacare reor: nullam enim causam in judicio agis. Neque censurae fit locus si clericum, non suo sed alieno nomine convenias, v. c. quasi procuratorem adversarii tui, quasi arcae parcimonialis aut mensae num-

---

tamen in hoc argumento existimes, corollarium nostrum cuilibet opinioni in scholis agitatae accommodatur.

(1) Cfr. *Monitore Ecclesiastico*, XXIII, pp. 543-547.

(2) Cfr. aa. 94 sqq. legis italicae quae est de civitate interius tuenda (Legge di P. Sicurezza, die 30 jun. a. 1889 lata).

mariae praesidem (scil. qua talem, non ut actionem quamlibet in illum personaliter experiaris) quacum litem instituis. Quaeres eleganter num in censuram offendas si clericum provoces ad forum administrativum, jure publico aevi nostri, aliter tamen et aliter, inductum. Finge parochum ab Episcopo legitime a beneficio amotum, qui Episcopum ad Ordinem, qui penes nos *Consiglio di Stato (sezione quarta)* appellatur, conveniat: finge confraternitatem quae eo provocaverit visitatorem Apostolicum sua statuta emendantem, ut sententia, decretum deleantur (1). Profecto alteri censurae superius n. VI enucleatae fit locus. An et huic? Quaestio primo recidit utrum huic foro jurisdictio veri nominis cum imperio competat, hinc inde doctoribus acriter disceptantibus, quam nos nec libare cupimus (2). Secundo inspicere oportet utrum hac in specie Episcopus, Visitator, aliusve jurisdictione ecclesiastica potitus, conveniatur, an potius eorum decreta, sententiae corrigenda, rescindenda, circumscribenda deferantur. Mihi probabilius est et hoc forum judiciali comparari, et quoniam compellatione et contestatione partium decisioni ibi fit locus (3), vere dici posse praelatos illo trahi, ideoque recurrentem utraque censura implicari. Ceterum sapientiores viderint.

(1) Has species non otiose effingimus, cum utraque a nobis adducta re vera contingere possit. Cfr. decisionem Consilii Status diei 29 Martii 1912 in priore specie, et in altera decisionem diei 21 Aug. 1900.

(2) Concise argumenta utrimque lata ad trutinam revocat Orlando *Principii di diritto amministrativo.* Florentiae, 1910. 300 sqq.

(3) Cfr. c. II tituli III legis diei 2 jun. a. 1889.

105. — Huc usque de privilegio universim sermonem produximus (1); nunc propius canoni incumbamus. Cardinales, Legatos S. Sedis (praeter Nuntios et Internuntios quos memorat Pighi, nonne et Delegatos recensebimus? V. n. 95), Ordinarium novimus. Scire interest quinam sint Officiales Majores Romanae Curiae. Hi deliguntur nutu R. Pontificis; et nescio cur Pighi Auditores S. Rotae ab horum numero expungere malit, cum lex ipsa ad quam provocat c. II, § 1 aperte dicat: *Officiales Majores cujuslibet Congregationis, cujuslibet Tribunalis, cujuslibet Officii S. Sedis libere eligantur a R. Pontifice* (2). Idcirco et Tribunalia suos habent Officiales Majores: in Sacra Rota, quos, sodes, nisi, ante omnes, Auditores? Quibus et Promotorem justitiae et vinculi Defensorem adnumerari non videtur dubium, si quid opinor (3). Ceteri Officiales Majores, in Suprema Congregatione S. Officii sunt Assessor et Commissarius, in Consistoriali Assessor et Substitutus, in

(1) Censurae cuilibet in hoc argumento contrahendae *ausus* requiritur: et hoc semel animadvertisse sufficiat.

(2) Cfr. *Regolamento per le SS. Congregazioni, per i Tribunali e per gli offici della Curia Romana*, C. II, I° (Monitore Ecclesiastico, XX pp. 241 sqq.)

(3) Conferatur lex propria S. R. R. diei 29 Junii 1908 can. 4 § 3: hi, proponente quidem Rotali Collegio, sed a Summo Pontifice eliguntur: ceterum ii qui publici procuratores sunt, quibus non immerito comparabis et promotorem justitiae et vinculi defensorem, judicibus ex aequo et munere et honore conferri assolent. Et in supremo Signaturae Tribunali, post inductam instaurationem per chirographum Benedicti XV diei 18 junii 1915, *Referendarii* (scil. *instructores*) et *Votantes* (scil. *consulentes*) sufficiunt *consultores*, quos cit. Lex propria can. 36 § 2 instituerat eligendos a Summo Pontifice. Quapropter et hos *Officiales majores* amplissimi ordinis censebis.

Congregationibus Sacramentorum, Concilii et Religiosorum, Secretarius et Subsecretarii, ex decretoriis verbis citatae legis: in reliquis profecto qui hisce aequiparantur. Quos omnes oportet conveniri non qua privatos, sed ob negotia ad eorum munus pertinentia, ut censurae huic specialiter reservatae locus fiat.

VIII.

Qui violentas manus iniecerit

In personam S. R. E Cardinalis, vel legati Romani Pontificis; In personam patriarchae, archiepiscopi, episcopi etiam titularis tantum [2343 §§ 2, 3].

106. — De hac re cum alibi dixerimus (nn. 68, 69) non est cur denuo immoremur. Animadverte percussores Cardinalium et Legatorum S. Sedis *ipso jure* infamia inuri, et *ope judicis* beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus, muneribus privari (1). Et quia in odiosis versamur, ii qui in jure, etsi charactere episcopali carentes loco Episcopi habentur (cfr. n. 11) huc non veniunt: nec ad Episcopatum renuntiati, nisi consecratione accepta.

IX.

Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut jura ad ecclesiam romana pertinentia [2345].

107. — Et hanc censuram, summatim depromptam ex constitutione A. S. (I, XII) - demptis, ut as-

(1) Quae poenae accessoriae, ex eodem canone constitutae, discernunt percussionem Cardinalis et Legati a percussione Praelati episcopali charactere praecellentis, licet utraque hac eadem excommunicatione muletetur.

solet Codex, fautoribus - sedulo assequamur, singula verba perpendamus.

108. — *Usurpantes.*

Usurpare, si pure et emendate latine loqui volumus, nil aliud est quam uti, aut frequenter in ore habere: pene infinitus essem si documenta ex romanis scriptoribus afferrem; quod et Paulus fassus est: *Usurpatio est* (jurisconsultis) *usucapionis interruptio: oratores autem usurpationem frequentem usum vocant* (1). At usus quem penes arbitrium, jus est et norma loquendi, paulatim alia sententia vocem usurpandi imbuit, nempe, praeter jus sibi arrogandi et vindicandi (2) et hac canonistae utuntur. Quare usurpat is qui *a domino*, non ab usurpatore, rem *facto*, non conatu irrito, *occupat*, quasi suam, non quasi fur, nec quasi alieno nomine detentor. Quod inique, in hac specie, patrare possunt, tum ii qui summa rerum potiuntur, tum, nonnullis contradicentibus, privati: re enim vera, si patronus bene-

(1) Cfr. l. 3. D. XLI, III. Quam significationem interruptae usucapionis, in jure, *usurpando* inesse jam colligimus ex lege XII tabularum de dominio et de possessione (VI) ubi de usucapione uxoris: *Mulieri quae annum, matrimonii ergo, apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, jus esto.* Cfr. etiam M. T. Ciceronis, *De Oratore* III. XXVIII, 100. Porro Paulus saec. III p. Chr. n. ineunte floruit. Cfr. Costa *Storia delle fonti del diritto romano*. 1909. Cap VIII, 4, pp. 108 sqq.

(2) Allegationes ex ipsis fontibus juris romani profert D'Annibale in cit. Commentariis, § 91, n. 24 (corrige ibi: *L. 8. C. De interd. Matrim*). Quae significatio vocabulo haesit in linguis ex latina derivatis: recole illud Alighierii:

Quegli che usurpa in terra il luogo mio.

(Par. XXVII, 22)

ficium simplex Ecclesiae Romanae, lege reipublicae fretus, sibi vindicaverit, symbola fisco soluta, hac censura eum implicari non negabis (1).

109. — *Vel detinentes per se vel per alios.*

Detinet ille qui rem ab alio usurpatam, quomodo libet et a quovis acquisitam, directe aut per interpositam personam sibi possidet, ita ut quamvis res clamet ad dominum, eum nullo pacto attingere possit. Detinentibus adnumerari oratores a populo delectos et senatores negat Bucceroni (2) et jure prorsus, nec magis ex ratione ab ipso allata, quia quasi ordines et non quasi singuli retineant, quam ex ipsorum munere quod legibus ferendis continetur. Subdit ibidem cl. auctor haeredes usurpantium hac censura innodari *si tamen sine majori publico damno, et sine majori ipsius temporalis Principatus Romani Pontificis damno, illum statim deserere possint: et nisi accedat saltem tacitus consensus ipsius Romani Pontificis, uti pro locis pluribus in B.* Coenae *enumeratis accessisse videtur: qua in re unicus legitimus judex est ipse R. Pontifex.*

110 *Bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia.*

Bona et jura amplissime accipienda esse nuda elocutio, nullis limitibus adstricta, nos edocet. Quae, si jam fuerint occupata, quia possessori malae fidei

(1) Cfr. art. 16 legis promulgatae die 19 junii a. 1873, quo sancitum est patronos laicos posse, ad tramites art. 5 legis latae 15 Augusti a. 1867, pleraque beneficia Ecclesiae Romanae sibi vindicare (Cfr. Sansone *Le leggi e la giurisprudenza su la manomorta*. Neapoli 1885, p. 357).

(2) V. II, § 1875.

non currit usucapio, semper in patrimonio beati Petri versari non est dubium.

X.

Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum, vel rescriptorum sedis apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes [2360].

111. — Canon a constitutione A. S. ad Bullam Coenae remeat. Quod ut assequaris, animadverte *falsarios* a *fabricatoribus* discerni: *illi* vera corrumpunt; *hi* non vera plane prorsus effingunt. Utrosque perculerat Bulla Coenae: at Constitutio piana A. S. *falsarios* tantummodo et falso fabricatas literas Apostolicas *publicantes*, non ideo fabricantes, complexa fuerat. Hodie pari gressu utrique veniunt.

112. — Fabricatur (jam Tullius enunciaverat *fabricari verba* eum qui ore alio indicta strueret) (1) ille qui commenticium documentum exarat: falsarius perhibetur ille qui, etsi semel tantum, documentum substantialiter immutat (2) addens, interlinens, corrumpens (3). Heic et illic tamen *dolum*

(1) Haec usurpatio translaticia vocabuli latinae et italicae linguae communis est: cfr. Tommaseo *Sinonimi* § 1582.

(2) *Substantialiter, inquam*, quia si oscitantiam amanuensis nomina labefactantis emendet, aut si accidentaliter litteras vitiet, v. c. si laudes, quae in Bullis et Brevibus deferri consueverunt ei cui mittuntur, augeat, in argumento nostro nec falsarium, nec poenae obnoxium habemus.

(3) Si plura cupis de callido astu falsariorum superioris aetatis, quae tamen fictiones ad artis chymicae exquisitissimae normam exactas nondum noverat, perlege praeterquam *De lege, Cornelia de falsis* (D. XLVIII, X et C. IX, XXII) c. 5 *de crimine falsi* X (V, XX) versiculis glossae contractum:

Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum
Haec sex falsata dant scripta valere pusillum.

malum interesse oportet: nam si cerebrosus quis documenta conficiat mox laceraturus, non est cur de eo immoretur lex. Dolus in *animo fallendi* verius consistit (1): quapropter si *animus jocandi* praepolleat, aliter judicabis: puta si sacerdoti, aventi episcopatum, Breve apostolicum aut Bullas consistoriales affabre confictas exhibueris, stolidum ludificari cupiens, si hoc salsum putas, te infacetum dicam, at censurae expertem. Nec obest et culpae et poenae si quis Literas apostolicas fictitias non chartae pergamenae aut alii ex stylo Curiae, sed typis committat: adhuc enim deceptioni fit locus. Quaestionem movet Pighi sitne perpendendum alterius damnum in crimine hac excommunicatione confixo. Communis fuit Farinacii definitio *falsum esse veritatis mutationem in alterius praejudicium factam*. Sed aptius percontare cum D'Annibale utrum falsarius, fabricator, sibi faveat, an alii noceat: si primum, simul atque falsitatem absolverit, licet postea poenitens documento adulterino aut corrupto non utatur, censuram contrahit; si secundum, sufficit damnum, utique gravis momenti, inferri posse et a falsario praevideri: quod apprime cohaeret cum recentiorum doctrina et jure poenali (2).

113. — Quoniam Litteras *Sedis Apostolicae*, et non nude *Litteras Apostolicas*, canon nominat, eas

(1) *Itaque ipse* (Labeo) *sic definit dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.* L. 1 § 2 D. IV. III.

(2) Cfr. *Relazione del ministro guardasigilli* (Zanardelli) *per l'approvazione del testo definitivo del Codice Penale* § XCVII.

nedum a Romano Pontifice profectas, sed a Congregationibus, Tribunalibus, Officiis, quibus utitur in christiana republica moderanda, expeditas heic comprehendi argumento ex can. 7 deprompto, inferimus, ideoque latius censuram quam in constitutione A. S. patere. Decreta et rescripta unde quaque inde manantia cum Litteris veniunt: imo si quis corruperit preces poscentis, Rescripto annuenti praepositas, quia hujus vim formaliter implicite depravat, inter falsarios jure refertur.

114. — Demum hac eadem censura cohibentur cum fabricatoribus et falsariis et *scienter* utentes (cfr. n. 32), non autem delinquentes accessorii, quos omnes constitutio A. S. excommunicationi Ordinario reservatae subiecerat. Clericos autem et religiosos hoc crimen perpetrantes aliae poenae f. s. ex § 2 hujus canonis manent: quas nostrum non est interpretari.

XI.

Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud superiores falso denuntiaverit, ipso facto excommunicationem incurrit speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, iniposita insuper gravi ac diuturna poenitentia [2363].

115. — In limine animadvertas hoc flagitium, nedum ratione hujus censurae, sed et ratione sui [894] Sanctae Sedi reservari: unde, etsi censura forte cessat, solummodo a confessario facultate delegata instructo absolvitur. Disciplinam proinde immutatam per codicem reperimus, cum antea in hos

calumniatores censura quidem non esset lata, peccatum autem ita esset reservatum a Benedicto XIV P. M. et decreto S. Officii diei 27 jun. 1866 ut, citra mortis periculum, nemo, ejuslibet facultatis delegatae gratia, imo nec ipse Poenitentiarius Major, absolveret, nisi singulis vicibus interpellato Romano Pontifice. Hodierna disciplina incolumitati sacerdotum commode prospicit perspicuis conditionibus absolvendo latis, quas in hoc canone legimus: hunc profecto, nisi periculum mortis obeuntem, nec in casu urgentiore a confessario qualibet facultate generali delegata instructo absolvi posse reor, nisi post retractationem editam, et damna, saltem inchoative, resarta: nec sufficere quantumvis seriam promissionem palinodiae canendae.

116. — Censura attingitur is qui confessarium falso insimulat sollicitationis seu *sibi* seu *aliis* attentatae. Siquidem in instructione causae contra sollicitantes, testes assumi seu induci possunt, quibus, ex norma S. Off. diei 20 julii a. 1890, interrogatio proponitur *an sciant vel dici audierint praedictum confessarium alios poenitentes sollicitasse ad turpia* (1). Requiritur autem *juridica* calumnia, scil. apud Ordinarium, vel Inquisitorem (Superiores nempe) instituta. Quid si quis falsum rumorem in vulgus ediderit, unde fama quae

Mobilitate viget, viresque adquirit eundo

ad aures Superioris pervenit? Et si de industria sparserit, perinde ac directus calumniator habebitur:

(1) Cfr. *Monitore Ecclesiastico* VIII, 1, pp. 75 sqq. Ceterum hujusmodi denuntiationes a nemine absque culpa letali omitti possunt (Instr. S. Off. diei 20 febr. 1867, § 3).

huic enim Benedictus XIV exaequat eum qui *sceleste procuraverit ut id ab aliis fiat* (1). Ubi satis aperte innuitur eamdem poenam esse luendam ab eo qui per alterum, tanquam suum mandatarium tacitum, calumniam judicialiter instruit (2). Demum crimen *sollicitationis ad turpia* est confessario impingendum, non aliud quodvis, v. c. immodicae aut inconsultae investigationis. Nec calumniator poena liberatur, si nulla forte causa in sacerdotem infertur, quia v. c. diem obiit, aut uberiora in eum indicia a Superiore exoptantur.

SECTIO TERTIA

quae est de excommunicationibus simpliciter S. Sedi reservatis.

117. — In his casibus, si sint occulti, patet Ordinariis facultas, de qua n. 57 egimus; ab his temerarius absolvens, facultatis expers, excommunicatione non implicatur.

---

(1) Const. *Sacramentum Poenitentiae* § 3.

(2) Nam et mandatum tacitum explicito comparatur: *cuicumque enim permiseris rem tuam agere aut defendere, is procurator intellegitur.* Inst. IV, X, I. Quid si alter sua sponte calumniam a te prolatam Superiori detulerit? Profecto is magis *negociorum tuorum gestor* quam *mandatarius* habetur, et tu censuram, at non onus resarciendi tuae culpae accommodatum, vitas. Sed si rescieris, nec pro viribus adnisus fueris ne quid sacerdos innocens detrimenti capiat, a negociorum gestione, ex jurisconsultorum doctrina, in mandatum tacitum recidimus. (Cfr. Ricci, *Corso teorico pratico di diritto civile*. Augustae Taurinorum 1880. Vol. VI, § 68). *Iniquum* enim *est eum qui non prohibuit alieno facto liberari* fr. 7 (8) § 3, D. III, V.

I.

Quaestum facientes ex indulgentiis [2327].

118. — Excommunicationem huic, verbis similem, sed re aliquatenus disparem, tulerat Constitutio A. S. Hodierno enim jure, nec censuram dimetimur juxta constitutionem *Quam plenum* S. Pii V, cui anterior disciplina poenam aptandam diserte jusserat (1), sed ex hoc canone: nec praeter quaestum ex indulgentiis captum, mercimonium alius cujusvis gratiae spiritualis heic insectamur. Delictum igitur arctiore termino definitur, et poena Episcopos ipsos, anteriori jure conceptis verbis exemptos, non praeterit.

119. — *Quaestus* Romanis erat lucrum nummarium aut quod ad nummorum rationem supputari posset. M. Tullius Cicero, ex antiquorum sententia, *quaestus liberales* seu *honestos* a *sordidis*, scil. opificum labore partis, discernit, *de officiis* agens (2). Quaestus autem ex indulgentiis multifariam captari potest. Recole, si lubet, callidas machinationes in Bullis S. Pii V *Etsi Dominici* et *Quam plenum* detectas et damnatas. Et quaestum facit tum is qui lucro adactus pro potestate concedit indulgentias, tum is qui eadem ratione concessas promulgat, vel facultate delegata applicat,

(1) Hanc Petrus Matthaeus retulit in Septimum Decretalium (t. XV, l. III).

(2) I, 42. Et ab Horatio ruri formidatur:

Autumnusque gravis, Libitinae quaestus *acerbae*

(L. II Serm. VI, 19)

tum is qui coronas aliave obiecta id genus, indulgentiis ditata, pluris distrahit (1). Venitne huc qui fictas in vulgus edit? Pighi affirmat, quod mihi est difficile, nam is non ex indulgentiis, sed ex fraude sibi lucrum comparat, quamvis excommunicationi specialiter reservatae obnoxius fiat (cfr. nn. 111 sqq.) si versutiae tegendae falsa documenta Sedis Apostolicae aut condat aut scienter extrudat.

Poena autem statuitur in facientes, non in aucupantes tantummodo: quapropter si lucrum inhianti res ex sententia non succedat, censura abest.

II.

Nomen dantes sectae massonicae aliisve ejusdem generis associationibus quae contra ecclesiam vel. legitimas civiles potestates machinantur [2335].

120. — Massones *qui* sint, perraro tamen *quinam* sint, novimus, et proh dolor! rerum usu cotidie experimur. Quaeres forte quam rationem iniri oporteat si massonicae sectae assecla ad meliorem frugem redeat; jusserisne eum palam se a secta divulsum profiteri? Utique si ex primoribus sit; si vero sit gregarius ex responsionibus S. O. diei 7 martii 1883 et diei 19 jan. 1896 rerum adiuncta sedulo sunt perpendenda, ut aliquando sit satis eum *facto* sejungi, seu, massonico loquendi modo, *dormire*. Anteriori jure et fautores et ii qui sectae duces non denuntiaverant in censuram incurrebant;

---

(1) Hic fraudem avaritia cumulat; siquidem emptoribus indulgentiae nullo pacto prosunt [924 § 2].

hodierno, ex instituto Codicis quod pluries animadvertimus, non item. Collegia funeraticia cremandis corporibus instituta primo ore et plena facie massonicam sectam referunt: et si exinde profluant, pari censura in ea cooptati multantur; ex resp. S. O. diei 19 maji a. 1886.

121. — Secundo veniunt associationes quae machinantur, id est per *dolum malum* moliuntur (vix enim invenias et penes purgatos scriptores *machinari* in bonam partem accipi: heic certe in malam partem) contra Ecclesiam et contra legitimas potestates. Si quae contra Ecclesiam coierint, facili negotio dignoscuntur. Sed contra legitimas potestates cives coalescunt non una ratione. Si quae factio v. g., penes nos, genus rei publicae regium populari sufficiendum curet, sive praeconibus, sive diariis, sive comitiis, nec juri publico vigenti, quo sua cuique est libertas quidlibet evulgandi, et in medium afferendi, obsistit, nec ideo censurae fit locus: secus si seditionibus societatem concutiat. Proinde nec *socialistae* hac censura coërcentur, uti jure contendit Vermeesch, qui eos a *nihilistis* et *anarchicis*, heic certe perculsis, probe discernit (1).

III.

Absolvere praesumentes, sine debita facultate, ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata [2338 § 1].

122. — Priorem disputationem instituentes, novimus (n. 53) absolutionem istiusmodi valere, modo

(1) *Quaestiones de justitia ad usum hodiernum disputatae*. Brugis 1901, § 187.

ne specialissime censura reservetur. Attamen si peropportune insipientiae effectum Ecclesia mater, bono filiorum prospiciens, tuetur et munit, insipientiae radicem hac censura, quasi ascia, percutit. Si qui igitur praesumant absolvere (profecto praeter casus urgentiores et periculum mortis, cfr. nn. 56, 58) huc impingunt: ex canone autem praesumptio requiritur, qua fit ut ignorantia crassa et supina, aut quaelibet imputabilitatis imminutio, v. c. metus gravis, excuset: non item ignorantia affectata. Idcirco si quis, insulse elatus, studia flocci faciat, et judicio suo quasi gubernaculo fretus, theologiae rudis, pelagus confessionum audacter arripiat, hic et desipit et in censuram quasi scopulum offendit.

123. — Censurae subeundae opus est imperitum confessarium *absolvere:* nec satis est eum audire, absolutione ab his censuris denegata, dilata, aut specie tenus impertita, neque, si quid opinor, incurrit confessarius qui in casu urgentiore vel in periculo mortis absolvit sed ita segniter officio suo indormit ut poenitentem non moneat recursus ad S. Sedem proferendi.

IV.

Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes [2338 § 2].

124. — Utrobique haec coërcetur gratia vitando impensa; sed in priore specie, cuilibet vitando: in altera, vitando clerico a clericis: et haec una censura canonis binas a constitutione A. S. latas

compendifacit. Quinam sit hodierno jure vitandus, abunde diximus n. 42.

125. — *Primo* igitur auxilium et favorem impendentes mulctantur. Illud ab isto differt; quod ut paucis verbis perstringas, duo ex ordine animadverte:

1) Delictum quodlibet, censura punitum, cum contumacia conjungitur (n. 39); et cum vitandus is sit qui ut talis publice sit excommunicatus a Sede Apostolica (praeter speciem, haud equidem obviam, percutientis Romanum Pontificem), in crimine hujus condemnati tractum successivum haberi necesse est: alioquin cur Apostolica Sedes tantam poenam, omnium ferme gravissimam, reposceret?

2) Delictum vitandi, profecto ante auxilium vel favorem, jam patratum habetur: secus sententia, quae vitandum constituit, nondum intercederet. Attamen in tractu successivo criminis delinquenti contumaci i. e. non resipiscenti auxilium vel favor impendi potest; alterum ab altero ex doctrina juris poenalis, cui nos conformari semper oportet, nunc dispescere licet.

Auxilium praestat is qui *moraliter* et *materialiter* alterius contumaciae delictum firmantis et quodammodo obsignantis fit particeps; moraliter, i. e. probe et criminis et sententiae conscius; materialiter, i. e. actione quae suapte natura contumaciam communiat v. c. si sacerdoti vitando propter seditiosa scripta quis pecuniam comparet qua latius in vulgus aut denuo edantur.

Favorem (veteres jurisconsulti *complicitatem posteriorem* vel *per posterius* appellabant) praestat, ex luculenta doctrina Carrarae, is qui tum consulto,

tum re vera (moraliter quippe et materialiter) absque praevio condicto justitiae insequentis cursum praepedit, quin auxilio suo in tractum successivum delicti influat. V. c. ut exemplum allatum retractemus, si quis vitando hujusmodi, ab officiis ecclesiasticis rite deturbato, gratiam *qua tali* plebis aut potentiorum conciliet, aut magisterium in publico gymnasio quaerat. Auxilium proinde magis delicto, favor magis delinquenti prodest; utrumque autem *in eodem crimine*, propter quod vitandus notatus sit, opus est impendi censurae contrahendae.

126. *Secundo* veniunt clerici (non ideo regulares laici) scienter et sponte communicantes et recipientes. Clericos in minoribus et Episcopos sunt qui negent heic comprehendi: nec satis liquet cur utraque exceptio adseratur: nonne clerici dicuntur quotquot ministeriis divinis per primam saltem tonsuram mancipantur? [108 § 1] (1) Hi vetantur *in divinis* communicare cum vitando scil. in officiis ex potestate ordinis ex instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinatis, quae a solis clericis obeuntur: non igitur si cum eo v. c. novendiales preces, laicorum more, fundant. Insuper vitandus quasi clericus est assumendus; unde censura abest, si assistens passive officiis non repellatur, vel vita functus exequiis, sepultura

(1) Et si fontes juris huic canoni allatos contuleris, forte ex cc. 18, 29 *De sententia excomm.* X (V, 39) clericos tantum, infra Episcopos, designari persuasum habebis: attamen non ex fontibus codicis sed ex ipso codice jus hauriri oportet, et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ceterum si c. 3, C. XI, qu. 3 in Decreto fontibus adnumeratum, revolvas, Episcopos autumabis hac censura non excipi.

canonica donetur, licet non repellentes, justa persolventes graviter peccent. Vitandum denique recipere perinde est ac eum admittere, etiam seclusa activa communicatione: puta si parochus sacerdotem vitandum jubeat aut permittat sacris operari. In hac tamen altera specie laici nequaquam veniunt: si qui igitur aeditui, patroni, vitandum celebraturum admittant vel invitent, haec censura eos non insectatur (1): clericos tantummodo, et quidem sponte et scienter (qua de re pluries repetita recole) recipientes. Quid si clericus non in suam sed in alienam ecclesiam recipit, ignaro aut frustra invito hujus rectore? Profecto is magis intrudit quam recipit: sed quoniam in majore et minus contineri necesse est, hunc, nisi cavillare malis, censura teneri non negabis.

V.

Qui contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad judicem laicum trahere alium (scil. praeter Ordinarium proprium) Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum nullius, vel aliquem ex majoribus religionum juris pontificii Superioribus [2341].

127. — Jam satis superque de sanctione privilegium fori communiente nn. 101 sqq. egimus, de trahentibus Cardinales, Legatos, Officiales R. Curiae majores, Ordinarium Episcopum disputantes. Heic censura simpliciter reservata manet *primo* eum qui trahit alienum Episcopum, etiam mere titularem, Abbatem vel Praelatum *nullius:* non ideo si trahit alienum Vicarium Capitularem seu Generalem,

(1) Cfr. tamen inferius, n. 183.

quamvis hi Ordinariis aliter comparentur: *secundo* eum qui trahit majorem Superiorem Religionis juris pontificii, nempe aut approbationem aut saltem decretum laudis assecutae, ne Religionibus laicalibus aut monalium vel sororum exceptis (1). Superiorum Majorum indicem can. 488 ita digerit: *Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam congregationem pertinentis* (huc usque de monachis est sermo), *supremus Religionis Moderator, Superior Provincialis, eorumdem vicarii, aliique ad instar Provincialium potestatem habentes* (heic de ceteris religiosis). Quem indicem aptabis monialium et sororum antistitis.

VI.

Clausuram monialium violantes, cujuscumque generis, aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes [2342, I].

128. — Hic de monialibus, scil. votorum sollemnium, ideoque de clausura papali sermonem instituimus [597 § 1]. Definiti autem juris est vota sollemnia sine clausura papali non intelligi, at clausuram papalem sine votis sollemnibus consistere posse (2), cum congregationes nonnullae votorum simplicium, plus una vice, clausura papali sint communitae (3) quae si ita eis sit constituta

(1) Cfr. fr. 1 *De Verb. sign.* D. L. XVI; item semper *sexus masculinus etiam femininum sexum continet*: fr. 62. D. XXXII; cfr. can. 490.

(2) Ex resp. S. C. Ep. et Reg. diei 6 decembris 1839.

(3) Cfr. I. C. Ferrari *Summa institutionum canonicarum* 6. Genuae 1896, t. 1, § 242 n.

ut sanctionibus generalibus sit obnoxia, illas in hac censura continebimus. Quid de monialibus, quarum statuta vota sollemnia edi quidem jubent, sed quae injuria temporum, Sancta Sede annuente, vota tantummodo simplicia nuncupant? Hae plerumque in jure cum monialibus veniunt nisi ex rei natura et sermonis contextu aliud constiterit [488, 7]; heic tamen sororibus votorum simplicium sunt accensendae et earum clausura mere episcopalis habetur (1). Quaeres demum quandonam cesset clausura: *incipit* a domo canonice erecta, etsi nondum formata [597 § 1] scil. monialibus infra senarium numerum coalescentibus (2); *pergit* etiam una tantummodo professa superstite, in qua stat nomen et jus totius universitatis [102 § 2]; ***reviviscit***, si forte expulsa sodalitas eo regreditur.

129. — *Primo* igitur censura tenet ingredientes quoslibet, etiam Episcopos et Praelatos, illegitime, scil. praeter visitationem et Sacramentorum administrationem, introëuntes (3); non tamen ex hodierna

(1) Hanc sententiam tuetur P. Bastien: *Directoire canonique à l'usage des Congrégations à voeux simples*[2] Maredsous 1911, § 548 Cl. A. in calce elucubrationis suae votum protulerat, nonnihil, sed non omnino, a codice expletum: *Nous nous permettons toutefois d'exprimer un désir qui nous paraît fort légitime: celui de voir le S. Siège régler définitivement la situation de ces religieuses.*

(2) Haec autem institui nequit nisi tribus monialibus constans [100 § 2] Cfr. l. 85, *De Verb. sign.* D. L. XVI.

(3) Hos antea quidem DD. a censura eximebant, quia, etsi non necessario, non sine facultate tamen ingredi censebantur: quod nec verbis constitutionis A. S. nec nostro canoni consentaneum puto.

disciplina (cfr. n. 23), secus ac anteriori (1), Cardinales nec eos qui supremum actu, non designatione hereditaria aut praesumptiva, populorum dominium obtinent, eorumque uxores cum comitatu. Impuberes ingredi quidem vetantur, sed hodie censura non innodantur, qua eos antea Constitutio A. S. disertis verbis (*vel aetatis*) heic derogatis perculerat. *Ingredi* est autem septa clausurae signata corpore trajicere: non ideo os, pedem, brachium per januam aut clathros porrigere (2); nec legitime ingressum diutius immorari quam necessitas cogat, aut licentia permittat, licet post pusillum, scil. horae quadrante transacto, gravis culpa, juxta DD., exsurgat. Licentiam vel S. Sedes, vel, approbante Ordinario loci, Antistita ex normis in can. 600 exaratis, quas satius est legi quam heic explanari (3) concedit.

(1) Cfr. Ciolli cit. p. 123.

(2) Haec quidem juxta canonistas; sed in jure poenali laicorum (cfr. C. P. it. a. 404, 6) intellegitur *ingredi* et fur qui, manu aut arundine immissa, domo rem surripit.

(3) Nempe praeter visitatores, Reges, Cardinales, legitime claustra ineunt confessarii juvandis infirmis ex jure; ceteri quorum opera sit necessaria (medici, bajuli, pastinatores, fabri seu murarii, seu lignarii, seu ferrarii etc.) ex Antistitae licentia, impetrata, aut saltem, si necessitas urgeat, praesumpta Ordinarii approbatione. Facti species hac super re DD., qui fusiore calamo jura describunt, aggerunt: e quarum acervo unam sortimur: si particula e manu sacerdotis SS. Eucharistia moniales reficientis per fenestellam in claustrum prolabatur, mirum est quot commenta theologi excogitaverint particulae resumendae, clausura servata: cum aequius et tutius remedium intelligenti prostet: scil. legis vim in his adiunctis dirimi, et sacerdotem ultro ingredi: ecquo alio, sodes, epikejam adponamus?

130. — *Secundo* tenet introducentes et admittentes. Introducit alium illegitime is qui sive legitime sive illegitime (et tunc duabus censuris implicatur) ingreditur: sed Episcopum visitantem aut ab eo delegatum unus saltem clericus aut religiosus maturae aetatis comitatur [600, I°]; num plures, nempe *octo*, ceu ex Clementina *Attendentes?* (1) Nostris moribus hic numerus plus aequo est et magis caterva quam comitatus habetur. Admittit sive ostiaria, sive antistita; reliquae moniales nullo jure admittendi fruentes, potius illegitime introducunt quam admittunt. Quaeres utrum, introducto aut admisso impubere, censura teneat introducentem, admittentem. Affirmat Pighi; sed si verba canonis apprime perpendas, dubius haeres, ne te dicam in adversam cedere sententiam. Videlicet, secunda pericope canonis, censura inlata, vetat *eos* introduci, admitti, certe *quos* ex ingressu censurae obnoxios prior pericope nominat: sed quoniam haec impuberes praeterit (secus ac Constitutio A. S.), et illa praeterire censenda est.

(1) c. II, *De statu monachorum* etc. III, X. Monasteria clausurae papali subiecta anteriore disciplina *quotannis* Episcopus visitare tenebatur; hodierna, *quinto quoque anno:* et si monasteria Sedi Apostolicae immediate sunt subiecta, visitat circa omnia in jure expressa; si vero Regularibus subdantur, circa clausuram tantummodo: et circa alia omnia si a quinquennio Superior regularis ea non visitaverit. Sed potestne visitationem peragere pluries, nempe quandocumque id expedire judicaverit? Antea hoc certum erat (S. C. C. die 17 jul. 1597); et hodie eum posse non immerito Pighi affirmat.

VII.

Mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliique, quicumque ii sint, eas cujuscumque aetatis introducentes vel admittentes [2342, 2°].

131. — Haec censura praecedenti respondet, non ita tamen ut utriusque normae ex aequo veniant. Nulli mulieri, etsi infantulae, introitus in clausuram regularium virorum, qui votis scil. sollemnibus adstringuntur, patet, et puberi ineunti censura heic infligitur: uxores autem eorum qui supremum actu dominium obtinent (1) nec lege nec poena tenentur. Hoc discrepant clausura virorum et monialium, quod *illa* maribus patescit, *haec* nec maribus nec foeminis; at *illa* nulli exceptioni, praeter allatam, est obnoxia, *haec*, quia latior, nonnihil mitigatur necessitate aut utilitate cogente, Ordinarii licentia impetrata vel praesumpta: ideo nulla foemina unquam clausuram virorum ingreditur, licet forte omnes absint, quia nulla necessitas (2), sed clausuram monialium introit aliquando vir (medicus vel confessarius cfr. n. 129) quia necessitas oritur; insuper ex egressu moniales censura, de qua inferius, manet, viros, nisi fugitivos, nulla poena l. s. afficit. Consuevit tamen Apostolica Sedes matronis optime de aliqua virorum domo meritis indultum eo introëundi, grati animi causa, elargiri.

---

(1) Antehac et harum filiae, imo et uxores electorum S. R. Imperii, aliaeque his aequiparatae, licite ingrediebantur.

(2) Equidem novi S. Alphonsum foeminas (VII, 231) excipere *necessarias ad curationem alicujus religiosi, Superiore adnuente:* sed num has necessarias existimabis?

Clausura afficit, extra collocutorium et hospitium advenis recipiendis, totam domum et certis iisque perspicuis terminis signatur: quare publica templa cum accessoriis (choro, turri campanaria, sacristia, licet ibi janua claustri prostet) extra clausuram intelleguntur.

132. — Aliquantulum etiam discordant heic introducentes et admittentes tum a secunda parte superioris censurae (cfr. n. 130) tum a disciplina anteacti temporis. Nam heic, vi particulae subrogatae *cujuscumque aetatis*, introducta, admissa adolescentula impubere vel infantula, introducens, admittens censuram contrahit. Quin etiam si antea ex Constitutione A. S. soli regulares, Superiores aliive coenobitae, admittentes censura plectebantur, hodie omnes admittentes, extranei quoque, ea tenentur. Et ratio liquet: etenim, casu domo absentibus omnibus religiosis, malitia vel insigni levitate, sive sua, sive aliena, mulieres clam introire vel introduci possunt.

VIII.

Moniales e clausura illegitime exeuntes [2342, 3°].

133. — Admove et huic censurae applica modo dicta. Moniales accipe eas quae vota sollemnia nuncuparunt: idcirco exime eas quae, etsi in ordine, nondum tamen sollemniter sunt professae, vel ex instituto suo aut S. Sedis licentia vota simplicia emittunt. Exire est *toto corpore egredi*, licet illico reversuras: an et si tectum conscenderint? Disputant DD. sed quoniam Lucidi refert S. Congregationem Ep. et Reg. olim affirmasse, non est

cur haereamus: si igitur e fenestella tantummodo prostent eas non incurrere, si vero tectum aut solarium sub dio apertum pedibus terant, eas incurrere non est dubium. Et si qua monialis e suo claustro in alterum prope contiguum se contulerit, duplici censura (cfr. n. VI) innodatur. Si vero legitime egressa, diutius quam par sit moretur, graviter quidem delinquit si per notabile tempus subsideat (1), at in nullam censuram incidit.

134. — Legitimus egressus fit accedente S. Sedis licentia, vel imminente periculo mortis aut alio *gravissimo* malo impendente ex can. 601 (verba sane decretoria haec sunt), praevia interpellatione Ordinarii si tempus suppetat. Et in hoc argumento cum hodierna anteriorem disciplinam referat, consule auctores de re morali aut canonica; nostra porro miserrima aetate inter gravissima mala insolentiam militum irrumpentium proh dolor! recensuimus.

IX.

Si quis bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios, in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit [2346].

135. — Anterior disciplina, Constitutione A. S. instituta, bona et jura ecclesiastica, extra patrimonium Romanae Ecclesiae, geminata censura

(1) Unum aut duos dies materiam levem putat S. Alphonsus (VII, 229), quem aliter plane interpretatur Pighi.

tuebatur, altera specialiter reservata in usurpantes *quae ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinerent*, altera simpliciter reservata, eaque ex ipsis Tridentini verbis deprompta, in usurpantes cetera. Hodierna disciplina, hac una simpliciter reservata, utrosque insectatur: cujus verba singillatim expendere perutile erit.

136. — *Bona ecclesiastica.*

Haec ex can. 1497 § 1 intelliguntur si in patrimonio Ecclesiae universae et Sedis Apostolicae, vel alius personae moralis in Ecclesia, versantur. Bona igitur cappellaniae laicalis, nempe constitutae non ab Episcopo, sed a privatis actu publico tabellionis, licet collatae, approbante Episcopo, non censentur ecclesiastica (1): sed nec patrimonia ordinandis adscripta, quia his, non Ecclesiae, collocantur, quamquam et *illa* et *ista* pro lubitu distrahi aut vindicari vetantur: item Ecclesiae legata, pendente condicione suspensiva, heic non comprehendi liquet (2). Quaeres bonisne ecclesiasticis accenseantur *loca pia*: et patere nos respondentes fusius immorari.

---

(1) Cfr. *Monitore Ecclesiastico* VI, II, 184.

(2) Legatum Ecclesiae in ejus patrimonio versatur, simul atque morte testatoris dies legati cedit, nisi sub condicione suspensiva relictum fuerit, et profecto nisi repudietur: qua de re jus romanum (cfr. F. Serafini *Istituzioni di diritto romano comparato al diritto civile patrio*[5], Florentiae 1892. v. II, § 215) cum nostro (C. Civ. a. 862) congruit. Obiicies forte legata ante traditionem non possideri; concedo, sed si inter bona quae dominii sint ea non retuleris, certe inter jura: et eodem, scil. in hanc ipsam censuram recidimus, prouti

In praeliminio inquirere oportet a quibus loca pia fuerint condita. Si a laicis, nulla interposita Episcopi auctoritate, ceu pleraque, ne dicam omnia, aevo nostro statuta, ea huc non venire liquet: imo ex hodierna disciplina, jus Episcopo antea tributum ea visitandi, deficit. Si vero Episcopus ea tanquam personam juridicam in Ecclesia erexerit [1489 § 1] profecto veniunt: si nondum canonice erecta, domui religiosae sint commissa, episcopali utique vigilantiae, aliter tamen et aliter, subduntur [1491]: sed eorum bona nullo pacto ecclesiastica dices.

Si quod igitur dubium exoritur, circa loca pia versatur patrum nostrorum liberalitate constituta, et a novissimis legibus Ecclesiae tutrici suppilata, sus deque intermixta, et aliquando ab auctorum proposito detorta et alio destinata. Has fundationes tanquam personas morales a collegiis distinctas jus aevi christiani in corpus legum romanarum invexit (1); et jure superioris temporis Episcopus et visitandi et rationes exigendi amplissima auctoritate, Tridentini Concilii jussu firmata, nedum in

---

inferius videbimus. Quid de bonis ab Ecclesia adquisitis sed nondum ei traditis? Nempe hoc potissimum discrepat a romano nostrum jus, quia *illo* rerum dominia plerumque traditione, *hoc* (C. C. it. a. 1125; gall. a. 1138) nudo consensu partium, legitime manifestato, transferuntur. Ex codice autem juris canonici [1529] in contractibus jus civile territorii eos moderatur; ideo posthac non romanis legibus, quibus antea, sed nostris, emptiones ecclesiasticas, donationes, permutationes accommodari et existimari oportet.

(1) Cfr. Ferrini *Diritto romano*. Mediolani. 1898. p. 12; Riccobono, *Cristianesimo e diritto privato* in *Rivista di diritto civile* mensis jan. a. 1911. Re enim vera, ut verbis

locis piis ecclesiasticis sed et laicalibus, pollebat (1). Verumtamen hujusmodi jurisdictio visitandi et inquirendi non infert natura sua secum bona esse ecclesiastica; quapropter cum ea hodie plerumque coaluerint et concredita sint civium collegio quod *Congregazione di carità* appellatur, in singula specie, antequam censura adiudicetur, inspicere oportet ratasne habuerit et erexerit ab initio Episcopus singulas fundationes, quod quidem de fundationibus quae aut beneficio aut alii personae morali ecclesiasticae, nunc a civili lege interemptae, consistebant, certum est: de ceteris, per documenta aliasve probationes aut praesumptiones, affirmatur aut negatur: in dubio censuram vacare dicemus. Subsumes: censurane adhuc exsurgit quando ex novis legibus jus Episcopo intercipiatur ea visitandi? Si de fundationibus *mere laicalibus*, tum ex parte fundatorum tum ex parte intentionis qua instituuntur, agitur, nullibi hoc jus Episcopis codex firmat, et non est cur negantes censuram contrahi ambigamus. Quin etiam Pennacchi, quocum D'Annibale sentit, probabiliter putat ad instar laicalium habendas esse fundationes quae a potestate laica jamdiu ab Ecclesiae administratione et potestate subtracta fuerint, S. Sede sciente nec reclamante.

Constantini Patritii, S. R. E. Cardinalis, rescribentis ad regni administrum Gadda, die 5 Apr. a. 1871, utar: *lo stesso appellarsi Opere Pie chiaramente dimostra avere queste una origine religiosa: e si chiamano opere di beneficenza perchè sono basate sopra la carità, fondamento della religione cattolica.*

(1) Documenta et resolutiones affert *Monitore Ecclesiastico* VI, I, pp. 17 sqq.

137. — *Cujuslibet generis*, scil.

Mobilia, tum pretiosa (arte, historia, materia can. 1497 § 2), sive non pretiosa (quod anteriore disciplina nonnullis displicebat), sive merces, sive pecunias, modo materia gravis attingatur.

Immobilia, quae jure moderno in immobilia tum rei natura, tum destinatione hominis sive ad tempus (C. C. a. 413) sive perpetua (C. C. a. 414), tum obiecto (a. 415) distinguuntur: sed postrema, nostro loquendi modo, magis *incorporalia* dicuntur, de quibus paulo inferius.

Utrasque, sive res mobiles, sive immobiles, tam principales quam accessorias, et illas seu fungibiles aut consummabiles, seu infungibiles aut inconsummabiles accipimus.

Corporalia et *incorporalia*: illa spatio describuntur, haec jura magis perhibentur, licet documentis fulta, v. c. nomina debitorum, schedae ex publicis versuris, tituli foeneraticii, aut societatis argentariae, seu industrialis, seu commercialis, sive alicui adscripta, sive innominata, jura ex emphyteusi et locatione, ususfructus, usus, vectigalia, decimae, servitutes urbanae et rusticae, (1) actiones cuilibet juri experiundo legibus inductae; (2) in re nostra adde et emolumenta stolae, non vero redditus

---

(1) Quid si quis servitutem usus aut ususfructus v. g. subselliі sibi suisque, lege civili fretus his contentionibus, in Gallia praesertim (Cfr. Crouzil: *De la location des sièges d'église*. Parisiis 1903) odiosissime favente, vindicaret? Certe is Ecclesiae jura libere disponendi (1263, §§ 2, 3) in *suos usus convertit* et censura tenetur.

(2) Aeque bonis adnumerabitur etiam *si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam haec omnia in bonis esse videntur*. fr. 49, De verb. sign. D. L. XVI.

aut subventiones quae alicui, licet ecclesiastico, sed *tamquam privato* cedunt: ex. gr. stipem Missae manualis, mercedem pactam cappellano collegii et alia id genus.

138. — *Per se vel per alios* scil. procuratores mandato seu expresso seu tacito instructos; et ex declaratione S. Poenitentiariae diei 13 novembris a. 1863 Regii oeconomi hac censura innodantur.

In proprios usus convertere et usurpare praesumpserint.

Quid inducat hoc verbum *praesumpserint* abunde novimus: quid sibi velit *usurpare*, alibi (n. 108) explanavimus. Quaeres heic utrum usurpare sit idem ac convertere et particula *et* magis explicationis gratia, quam copulative interponatur. Nullo pacto id asseri potest, nisi inepte velis contendere solos usurpantes a domino scil. ab Ecclesia hac censura teneri, non ab usurpatore ementes. Atqui et isti, sive immediate sive mediate emant, si non usurpant sensu proprio, et ut ita dicam technico vocis, certe in proprios usus convertunt: ergo aliud est usurpare, aliud convertere, licet utrumque fiat in proprios usus. Utrumque tamen animo, seu potius colore domini conficitur; unde a poena l. s. eximuntur fur surripiens, commodatarius, conductor, censuarius, qui moras rei restituendae, pretio vel canoni solvendo nectat (1): item emptor qui vendit:

(1) Quid si moram interponit donec praescribat? Si consulto facit, eum puto censura teneri; nam licet praescriptio nonnisi oscitante directario, censualista, vel locatore contingat, ille dolo malo sibi usurpat aut jus aut fructus, quae inter bona ecclesiastica versantur.

non enim usurpat aut convertit: ceterum emptione jam censuram contraxit. In proprios usus non convertit is qui frustra aut ficte, lucri captandi gratia, bona ecclesiastica publicata licitatur: nil quippe agit: neque huc venit, si quid opinor, Loci Pii curator qui legatum monialibus dotandis aut Missarum, ab Ecclesia ratum, puellis matrimonio jungendis aut inopiae levandae, transformatione inducta, addicit: quia *non sibi* convertit. Imo nec is qui vastatur aut diripit, etsi dolo malo, et eadem prorsus ratione: nec municipii praeses qui bona ecclesiastica a republica aerario addicta in usus communes urbis adquirit (1).

139. — *Aut impedire ne eorumdem fructus aut reditus ab iis ad quos jure pertinent percipiantur.* Discrepat heic canon ab excommunicatione Tridentina, ubi legebamus: *usurpare seu impedire*, et, ex DD. interpretatione, impedire citra usurpationem non intellegebatur. Heic legimus *aut*, quae particula profecto non explicative sed disiunctive duas delicti species discriminat. Impedit is qui vi, fraude, utique dolo malo, fructibus (certe quibuslibet, sive pendentibus, sive separatis, sive percipiendis, sive extantibus) (2) eum qui jure in eos potitur interdicit: licet sibi non usurpet, licet, si verba perampla canonis perpendas, pessumdet: v. g. si parochiani, perduelles in parochum, beneficii agros compilent.

---

(1) Resp. S. Poen. diei 3 jan. 1906: videsis Giobbio *La denunzia del Concordato e la separazione della Chiesa dallo Stato in Francia.* Romae 1907, pp. 565 sqq.

(2) Non ideo si *perceptos* furatur, quia non impedit quominus percipiantur.

Quid si creditor clerici, moram interponentis, fructus beneficii, nomini suo tuendo sequestret, vel solvendo pigneret? Si nomen verum est, eum a censura non plecti, ex Navarri et Bonacinae sententia (1) dicimus: at eum manet censura trahentis ad judices laicos. Incurrantne in hanc censuram conductores ab usurpatore, DD. disputant, aliis (Gennari) affirmantibus, quia conductor in proprios usus convertit, aliis (Berardi) negantibus, quia expedit bono et publico et Ecclesiae agros excoli, domos inhabitari; *illis* in puncto juris verius, *istis* fortasse melius, cum placeat *in omnibus rebus praecipuam esse justitiae aequitatisque rationem quam stricti juris* (2). Ceterum si fructus venales ab usurpatore emeris, D'Annibale negat te censura teneri (3): quid interest inter emptorem et conductorem? *Ille* singulos, *iste* universos fructus emit.

140. — Denique, quia properato opus est, nonnulla breviter attingamus. Emphyteuta potest fundum

(1) Cfr. *Monitore Ecclesiastico* III, I, 104.

(2) L. 8 C. III, I.

(3) Gennari ex adverso affirmat ex facultate Episcopis tribui solita hos emptores absolvendi. Attamen hae facultates dubia juris decretorie non dirimunt. Exceptionem sententiae suae infert item Gennari, si usurpator fructus industria sua specificatos venum dederit: tunc eos emi licet, quia ex jure communi seu romano, quo Ecclesia utitur, specificator fit dominus rei. Et huic opinioni nec refragari lubet, nec opponere fluctuantem doctrinam juris romani de specificatione: qua de re cfr. Perozzi *Istituzioni di diritto romano.* Florentiae 1906, vol. I, § 85. Sed juvat obiter et *denuo* innuisse juris hodierni, post codicem [1529], in quaestionibus disceptandis aequam rationem habendam esse: quamquam vero plerumque jura aliter edicunt; v. c. in argumento specificationis codex italicus (a. 468) a germanico (aa. 950 sqq.) differt.

ecclesiasticum alienare, soluto Ecclesiae laudemio, si emphyteusis ante annum 1866 (1) constituta sit. Sed redimi canonem, censum, juxta legem civilem (C. C. aa. 1564, 1784), tradita sorte, injussu Superioris ecclesiastici competentis, censura tenetur ex resp. S. Poen. diei I jun. 1869, nisi, ex Gennari, lex redimentem cogat (2). Demum si ex DD. sententia regulares ab excommunicatione Tridentina, *clericos, laicosve* percellente, eximebantur, hodierna censura, quia non distinguit (ait enim: *si quis*, nulla designatione addita) eos complectitur.

X.

Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint [2351].

141. - Rubricam tituli paulisper suspiciamus, cum ex veterum jurisconsultorum adagio *a rubro ad nigrum valeat argumentum*. Haec in fronte delicta *contra vitam* insequitur; unde *primo* infer non placuisse Legislatori nostro sententiam (3), qua nonnulli tuentur duelli malitiam proprie haberi in

(1) Cfr. *Disposizioni transitorie per l'attuazione del C. civ.* a. 30.

(2) Ceterum, si quid opinari licet, S. Poenitentiariae responsum ab hodierna disciplina antiquatum arbitror: quia contractus posthac jure civili pensitandi sunt: et jus civile has redemptiones ultro recipit.

(3) Cui calculum adiecit codex poenalis italicus aa. 227 sqq. referens duellum inter crimina contra publicum imperium patrata.

vi privata et armata, qua quis, sui juris adsertor, molitur contra jus reipublicae justitiam decernendi, ideoque, tanquam crimen sui generis, toto coelo distare ab homicidio et vulneratione. *Secundo* coniicies huc non venire duellum, quod, ex tacito vel expresso condicto arma inepta deligentium et permiscentium, scarificatione, contusione absolvatur, cum contra vitam non sit : et ex adverso si arma sint per se letalia (enses acuti, parvae ignivomae balistae) huc duellum venire, licet congredientes paciscantur se finem certamini imposituros post tot ictus, aut simul atque alteruter sanguinem fuderit (1).

142. — Perpetrantes duellum, ultro citroque armis, loco, tempore delectis (secus enim rixa magis est) censura innodantur, etiamsi neuter vulnere saucietur : nam si censura tenet provocantem,

---

(1). Cfr. Ciolli op. cit. p. 111 ; Bianchi. *Questioni moderne davanti alla Morale cattolica*[2]. Vincentiae 1908, pp. 85 sqq. Contendunt theologi vitae tuendae, patrimonii servandi, vel domus incendio subducendae gratia, cum aliud remedium non prostet, posse duellum acceptari ; et jure prorsus, nam injusti aggressoris vim vi repellere licet. Sed praeter has species, doctrina certas sed usu haud obvias, theologi alias effingunt, in quibus, absit invidia verbo, passim extenuant damnationem latam a Benedicto XIV in quinque propositiones constitutione *Detestabilem* (Denzinger-Bannwart nn. 1491 sqq.). Ubi forsan caute assumendi sunt theologi superioris aetatis, germanici praesertim, aetatis vel gentis suae praejudicatis opinionibus levissime aspersi. Lege, quaeso, strenuam epistolam Leonis XIII *Pastoralis Officii* ad Episcopos Germaniae et Austriae (ib. nn. 1939 sq.). Et duella quibus in archigymnasiis germanicis tirones dimicant ex S. C. C. (9 Aug. 1890) et theologorum consensu (quos laudat Koch op. cit. p. 534) hac censura plectuntur.

acceptantem, duello non secuto, procul dubio congressos percellit. Nuda quippe provocatio, aut nuda duelli acceptatio secum fert censuram; utraque tamen si serio, non joco aut morae capessendae causa, proferatur. Et si canon censuram sustulit complicibus universim sumptis, jamdiu latam a Constitutione A. S., verbotenus heic ab ea differt nam cito subdit : *vel quamlibet operam aut favorem praestantes.* Idcirco et hodie veniunt patrini, quos vocant, tabellarii qui litteras provocationis et acceptationis scientes referunt, medici aut confessarii si, a partibus invitati, duellantes comitantur vel prope sistunt (non item si sponte sua, ex S. O. resp. diei 28 maji a. 1884, ut praesto sint vulneratis) ii qui locum certaminis aut arma consulto locant, aut effugium congressuris promittunt (si vero, peracto duello, fugam facilem reddunt, tunc non delinquenti sed puniendo subveniunt, nec censura tenentur), ephemeridum scriptores qui alterutri, laude comparata, animos augent. Sed hi omnes poena afficiuntur, effectu secuto ; nec praetereunda est sententia quam Génicot tuetur, et quae asserit patrinum censura eximi hoc munere fungentem eo animo ut vel dissidentes componantur, vel duellum levi vulnere cito absolvatur.

143. — *De industria spectant* ii qui non casu, vel a longe, vel curiositatis explendae causa, sed animum duellantibus, seu verbis, seu nutu, seu sola praesentia si auctoritate polleant, addunt, fovent. Permittunt aut non prohibent etiam ii qui legem compescendo duello quidem condunt, sed conditam pedibus proteri aut concedunt aut patiuntur. Si vero duelli crimen impune ferant, hos non teneri

censent theologi ex derogatis verbis constitutionis Clementis VIII; isti enim non permittunt patrandum duellum, sed patratum non insectantur.

144. Duellantes et patrini, post duellum, infames ipso facto sunt [2351 § 2]: *illi* etiam sepultura ecclesiastica arcentur, nisi qua poenitentiae signa diem obituri dederint; et hoc postremo, hodierna ab antiquata severiore disciplina, quae etiam contritos sepultura interdixerat, differt.

XI.

Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes [2388].

145. Haec censura, terminis expolita, affertur a Constitutione A. S. quae eam Ordinariis reservaverat, et clericos in sacris et religiosos utriusque sexus sollemniter professos perspicue denotat. Quaeres *primo*, utrum valide ordinatum gravi metu, necdum ope sententiae redactum ad statum laicalem [214] teneat: utique, quamlibet excusationem is afferat, quia *in re propria iniquum admodum est alicui licentiam tribuere sententiae* (1): *secundo*, utrum regularem, in sacris constitutum, bis innodet: minime, cum ex uno motivo formali violatae religionis hic et illic poena irrogetur. Attamen opus est hos coalescere ea ratione quae connubii faciem praeseferat: sive catholice, coram parocho fraude

(1) L. un. C. III. V.

decepto (1), sive haeretice, coram ministro, sive civiliter, coram urbis magistro: et quidem consilio contrahendi; non ficte, quam rationem iniisse perhibentur nonnulli sacerdotes animo pusilli in rerum gallicarum perturbatione, exeunte saeculo XVIII, vetulas specie tenus sibi sociantes ne factionum odia in se provocarent. Hinc censura vacat, si tantummodo concubinarii sint, aut sponsalia paci scantur; poenae tamen non obest, si, praeter impedimentum ordinis et voti sollemnis, alio quoque titulo nuptiae sint nullae, v.c. clandestinitate, consanguineitate, affinitate (S. Off. die 13 jan. a. 1892).

146. — Nedum voti emissi contemptorem, sed et compartem, etiam ante sacrilegas nuptias consummatas (2), censura tenet: utrumque si *praesumpserit:* ergo metu coactum, dolo circumventum, ignorantia non affectata laborantem non attingit, quamvis metu resoluto, dolo detecto, ignorantia excussa, in unione hujusmodi perseveret. Quaeres nunc sitne haec censura individua, ita ut vel neutrum vel utrumque percellat: si vel mediocri attentione canonem perlegeris, profecto coniicies censura ignorantes non affici: neutrum igitur, si ambos ignorantia seu juris seu facti occupet, utrumque e converso, alterutrum, cui scil. nullus obex imputabilitatem minuat, excommunicatione urgeri. Insuper

(1) Memorae traditum est C. M. Talleyrand, olim episcopum, insignem fallaciis virum, a quodam curione sacrilegae unionis benedictionem impetrasse. Cfr. Rinieri, *La diplomazia pontificia nel Secolo XIX*, vol. II, Romae 1902, pp. 73 sqq.

(2) *Nuptias enim non concubitus, sed consensus facit.* L. 30 de reg. jur. D. L. XVII.

canon ordinatum, professum apprime sejungit a comparte: finge apostatam qui, detrectato sacro ministerio, puellam sibi despondeat et civiliter jungat, ubi ejus anteactum sacerdotium penitus ignoretur: hac fraude radicitus vitiari ipsum civile coniugium non semel judices laici pronuntiaverunt (1): num hunc sacrilegum nuptiarum attentatorem fraus, quae puellam ignorantem decepit, a censura liberabit? Aut si ut sacerdos probe dignoscatur, sed foeminam gravi metu compulerit ut secum contrahat, vis illata excommunicationis expertem faciet? Ideo alteruter tantum potest innodari. Et si qua versuta foemina sacerdotem incautum circumvolet, seducat, minis deinde cogat ut secum foedere nuptiali vivat, illam, non hunc, excommunicatione plecti dicam.

XII.

Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis [2392].

147. Codex [727 § 1] definitione descriptiva, quae utique antiquam ex Decreto haustam (2) et a S. Thoma concinne elucubratam (3) redolet, *triplex* obiectum statuit simoniae juris divini: scil. aut rem intrinsece spiritualem pretio temporali comparatam, aut rem temporalem eodem pretio partam

(1) Cfr. sententiam Curiae Januensis appellationibus recipiendis die 9 nov. a. 1915 latam.

(2) c. 11 Caus. I; cfr. compendiosam regulam decimam primam juris X (V, XLI): *Indignum est ... ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

(3) S. Th. II, II^{ae} qu. C. a 1 ad 1.

et ita spirituali adnexam ut sine spirituali concipi nequeat, aut rem spiritualem quae cum temporali, tanquam partialis merces contractus, veniat. Porro contractus simoniacus emptione-venditione, permutatione, aut quavis alia conventione, animo simoniaco inita, etiam ad effectum non deducta, perficitur [728]; pretium DD. triplex summatim perstringunt: scil. munus a manu, a lingua, ab obsequio. Et haec theologiae studiosis praesto sunt. Sed praeter simoniam *juris divini* est et simonia *juris humani*, nempe ecclesiastici: ea scil. quam huc usque DD. circa res temporales spiritualibus adnexas versari tradiderant: haec porro difficultatibus scatebat, cum heic vox *simoniae* latius pateret ultra permutationes quae pretio consisterent, et leges ecclesiasticae plures quidem, sed dispensationibus et desuetudine implexae, haberentur. Ambages opportune sustulit Codex utriusque simoniae fines describens et definiens simoniam juris humani trifariam haberi: *primo*, si res temporalis spirituali adnexa ultro citroque permutetur: *secundo*, si res spiritualis pro spirituali, *tertio*, si res temporalis pro temporali detur: sed *illic*, *istic*, *heic* contra interdictum Ecclesiae sarcientis reverentiam debitam rei spirituali [727 § 2]. Hujus ergo obiectum hodie palam exaratur; et leges ecclesiasticae in Codice patent. Quapropter, si quid opinor, simonia illa confidentialis, quae vafritiem clericorum anteacti temporis referebat et Doctorum aciem exagitavit, hodie extra prospectum de simonia agentis versatur, et quia ab hodiernis moribus est remota, canonistas tandem non urgebit, secedens cum resignationibus triangularibus et quadrangularibus in historiam canonicam superioris aevi.

Haec in summa innuisse sufficiat, posthac totum argumentum utriusque simoniae finibus canonis 727 contineri et describi oportere.

148. — Venitne huc nuda simonia juris divini, ceu Pighi post D'Annibale asserit, an et simonia juris ecclesiastici? Utramque ego arbitror (1), cum Codex luce sua simoniae argumentum disputantibus claraverit. Sed sive sit divini, sive sit humani juris simonia, illam tantummodo hic attingimus quae circa beneficia, officia, dignitates ecclesiasticas versatur. Insuper hujusmodi simoniam opus est consummari, nempe post pactum sive expressum, sive tacitum (si v. c. examinatori aere alieno gravato, prope ante concursum, liberaliter foeneraris) utrinque in rem, saltem inchoative, deduci: censura enim insequitur *perpetrantes*. Si igitur conventio quomodocumque irrita cessit, censura vacat, licet paciscentes grave scelus jam admiserint. Quid si simonia mentalis intercesserit? Puta si Episcopum blandisonis verbis consulto mulceas ut tibi candidato paroeciae vacantis calculum apponat, et hic tibi faveat, non quia illecebris tuis illaqueatus, sed quia te putat idoneum? Utique peccasti intentione mala, sed simonia realis, ideo et censura, abest.

149. — *Beneficia* (semel ordinem anteverti liceat) veri nominis accipimus, ea scil. quae, ab ecclesiastica auctoritate perpetuo constituta seu erecta, constant officio sacro et jure percipiendi redditus

(1) Hic lubenter nitor auctoritate cl. viri Adriani Bernareggi, perspicacis ingenii canonistae. (Cfr. *Scuola Cattolica* mensis Martii a. 1918, p. 232).

ex dote officio adnexos [1409] (1). Quare si de canonica erectione publice non constet (v. gr. in cappellaniis laicalibus) vel officium sine jure dotis sit, ex hoc capite censura non infertur, quamvis ex alio (prouti inferius videre erit) plectere possit. Ceterum Codex aperte ex beneficiis expungit, praeter cappellanias laicales, etiam vicarias paroeciales et commendas ad tempus, coadiutorias (utique beneficio non fundatas), pensiones personales [1412]. Quid si cappellania sit ecclesiastica, sed manualis, scil. perpetua ratione beneficii, sed non ratione beneficiarii qui exinde amoveri potest? Utique huc venit: et si antea DD. disputabant, hodie vix, aut ne vix quidem, dubitare licet: jus enim canonicum, per codicem retractatum, hodie beneficiis perpetuitatem obiectivam adscribit, subiectivam non item: si *illa* est essentialis, *haec* tantummodo normalis est, ita ut et exceptionem patiatur nedum particularem in causa v. g. parochi amovendi [2147] sed et generalem, cum canon [1411] inter beneficia, disertis verbis, et *amovibilia* recensuerit (2).

150. — Multifarie simonia in beneficiis instaurari potest: ex collatore, institutore, patrono, electoribus, examinatoribus, competitoribus (v. c. si alter

---

(1) Aequa igitur lance codex theologos et canonistas attendit, antea ex adverso disceptantes, illos magis *officium*, istos *jus percipiendi* efferentes, tanquam beneficii constitutivum: sed caput et fundamentum beneficii est officium.

(2) Idcirco si feudale systema certe vim habuit in efformanda specie beneficii (quam forsan nimis amplificant quidam ex nostris juris ecclesiastici laicis scriptoribus, v. c. Friedberg-Ruffini op. cit. p. 767, Calisse, *Diritto ecclesiastico*. Florentiae (s. a.) § 127. Olmo, *Il diritto ecclesiastico*.

alterum pecunia abducit). Et quae juris humani est, ni fallor, non conficitur nisi in permutandis beneficiis, ubi codex [1488] pinguioris excessum vetat pretio resarciri. Sed in beneficiis, sicut et in officiis, et in dignitatibus assequendis, vexationem injustam juste redimi nullibi vetatur: quâ de re adi canonistas.

151. *Officia*, quae Constitutio A. S. praeteribat, perspicue dignoscimus ex canone 145: sunt enim munera, jure divino vel ecclesiastico stabiliter constituta, canonice conferenda, cum aliqua saltem participatione ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive jurisdictionis. Exinde infer huc non venire munera quae perfunctorie instituantur (v. g. sacrae expeditionis peragendae apud opifices commeantes) vel canonice non conferantur (ex. gr. scribae in Curia episcopali, magistri in seminario) vel nullam participationem ecclesiasticae potestatis secum ferant (v. c. bibliothecarii, cimeliarchae, custodis Ecclesiae) vel nomina sint sine re (uti canonicatus honorarii, gradus honoris causa) vel mera commoda sint (pensiones personales v. c.). Certe veniunt officia Vicarii (Capitularis, Generalis, Foranei et cujuslibet paroecialis), Cancellarii, Administratoris Apostolici; et si quod dubium veterum canonistarum adhuc supersit accenseanturne beneficiis paroeciae et praelaturae regulares, certe inter officia eas referes.

Mediolani 1891, § 252) hodiernum jus canonicum ab eo aliquatenus, temporibus mutatis et moribus evolutis, deflectit: et eo magis quia dotem beneficii nedum in bonis immobilibus et frugiferis sed etiam in oblationibus, distributionibus, praestationibus etc. [1410] constituit.

152. — *Dignitates*, in Collegio, ceteris beneficiatis praecellunt: olim jurisdictione, nunc ut plurimum, honore tantum praestant: unde magis *personatus* ex veterum nomenclatura sunt; et suas quodque collegium habet: aliud alias. Has confert Apostolica Sedes [396 § 1] et in his comparandis sibi aliive, et concedendis, si simonia irrepat, censuram secum trahit.

XIII.

Vicarius capitularis, aliive omnes tam de capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad curiam capitularem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel substantialiter immutaverint [2405].

153. — Hanc censuram, nunc primum a Codice latam ne quid Sedes vacans detrimenti capiat, quotquot incurrunt, possunt dein per Ordinarium, poena f. s., officio, beneficio, privari. Documenta, sive archetypa, sive apographa, ad Curiam Episcopalem pertineant censurae subeundae necesse est; non ideo quae ad archivum Capitulare, aut paroeciale, aut ad privatos pertinent, si forte Curiae ratifacienda, ad trutinam revocanda, obsignatione confirmanda concreduntur, huc veniunt; nec quae a Curiae officialibus in aliorum commodum exarantur seu transcribuntur. Nec refert si documenta levissimi momenti sint: et ea *subtrahit* qui e tabulario amovet (1), *destruit* qui delet, *celat* qui, in tabulario, eo recondit quo nemo ejus vestigia persequi aut suspicari possit, *substantialiter immutat* qui medullam documenti, etiam ex aliqua

(1) Si vero documentum alicui commodetur, licet commodatarii negligentia forte intereat, jam non concipitur subtrahi.

parte, corrumpit. Nec, patrato crimine, poenae obest si documentum redditur, reconcinnatur, detegitur, emendatur. Haec censura mandantes tenet.

SECTIO QUARTA

quae est de excommunicationibus Ordinario reservatis.

154. — Ab his, praeter Episcopum, et Vicarium Generalem [368 § 1], absolvit ordinario jure etiam canonicus poenitentiarius tum Ecclesiae Cathedralis tum Ecclesiae Collegiatae [401 § 1].

I.

1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063 § 1;

2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam ecclesiam;

3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;

4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos et instituendos tradunt [2319 § 1].

Canonis autem laudati 1063 paragraphum 1 juvat lustrare:

Etsi ab ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum, uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.

155. — *Primo* veniunt adeuntes nuptiis firmandis ministrum acatholicum. Et si in can. 1063 § 1 expresse non agitur de impedimento dirimente *disparitatis cultus*, scil. de matrimoniis a parte

baptizata cum non baptizata ineundis, quoniam et in his canon 1071 jubet servari ad unguem normas canonis 1063, infer, si cui Ecclesia permiserit ut hebraeam ducat, eum hac censura teneri elicientem aut renovantem nuptialia placita coram synagogae praeside. Ceterum acatholicis, etiam infideles, ideo et hebraei, accensentur, uti lucide innuunt et docent canones 1350, 1099 § 2.

Duo tamen animadvertisse opus est ut censura adiudicetur:

1) minister acatholicus adeundus est *tanquam sacris addictus*, non tanquam officialis reipublicae, sive qua privatus hoc munere fungatur, sive eidem leges commiserint ut acta civilia conficiat:

2) insuper adeundus est ut coniugalem consensum recipiat: cessat igitur censura si ab eo catholicus, sicuti in Suetia lege cogitur, exquirat ut documenta matrimonii celebrandi obsignet.

156. — *Secundo* respicimus paciscentes se vel universam prolem, vel aliquam (mares v. c. aut foeminas aut primogenitum) acatholice instituturos: quos censura tenet non quando paciscuntur sed quando nuptias ineunt. Si pactum requiritur, pollicitatio unius non sufficit: pactum enim a pactione *dicitur . . . et est pactio duorum pluriumve in idem placitum et consensus* (1), nec sufficit sponsorum generica conventio morem gerendi comparti acatholicae. Quid si pars acatholica id expresse stipuletur, tanquam condicionem conjugio ineundo, et pars catholica reticeat, scil. verbis non promittat, sed conjugium acceptet? Reor adhuc hanc censura

(1) Cfr. l. 1 § 1 *De pactis:* D. II. XVI.

teneri quia in his rerum adiunctis etiam *tacite consensu convenire intellegitur* (1).

157. — *Tertio* censura insectatur eos qui *scienter* liberos suos acatholicis ministris (heic utique schismaticis aut haereticis) baptizandos offerre praesumunt; ubi ne mente excidat ausum requiri, ideoque ignorantiam non affectatam, metum gravem a censura subducere. Liberos offerunt parentes: ambo vel alteruter: extraneus offerens huc non venit. Nec interest baptismum forte invalide conferri: non enim irritam collationem sed illicitum cum acatholicis commercium poena respicit. Si cui haeretico non ministro offerantur, quia in odiosis versamur, puto censuram vacare: certe haec vacat si quis ministro liberos tradat confirmandos aut Eucharistia reficiendos sed utrobique subrepere potest gravior censura in haereticos lata, si oblatio haeresis professionem inducit: certe suspicio, ex § 2 huj. can. hos et qui proxime praecedunt et sequuntur (156, 158) comitatur.

158. — *Quarto* demum prodeunt parentes vel qui parentum loco sunt, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos *scienter* tradunt. Si igitur ignorant, modo ne affectate, censuram vitant. Parentum vices gerunt nedum tutor et qui a consiliis tutoris sunt, sed qui puerum,

(1) Fr. 2 pr. *De pactis* ib. Si cupis dogmaticam et historicam rationem controversiae de matrimoniis mixtis enucleare (ibi enim ratio canonica et nititur et illustratur) revolve caput quartum tractatus de matrimonio in *Praelectionibus theologicis* Johannis Perrone S. I. (vol. VIII edit. mediol. a. 1846): nil fortassis uberius reperies.

loco parentum, alunt sive mercede, sive gratuito, sive necessitudinis causa, sive sibi a re publica commissum. *Educatur* puer si prorsus concredatur custodi acatholico, v. g. ephebeo, orphanotrophio; *instituitur* si falsum dogma edoceatur in ludo litterario. Sed eum qui puerum haeretico, etiam ministro, lingua, vel artibus vel alia disciplina imbuendum tradit, censura non plectit, quamvis sit res periculi plena.

II.

Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publice fidelium venerationi exponit [2326].

159. — Heic quoque peropportunum erit theologice et historice rem perscrutari quo melius canonem assequamur (1). Reliquias confici, qua tales, intellegimus: scil. vel penitus condi, mitram v. c. et adscribi sancto Episcopo, vel falso tribui, ut ecce si quis ignoti exuvias asserat esse martyris. Ubi dolus malus *reipsa* inest: sed commenticias reliquias bona fide citra fraudem aliquis potest venum dare, dispensare, publico cultui exponere: quem profecto censura non urget. Quin etiam, quia canon *scienter* vendentes, distribuentes, exponentes percellit, jure hos a poena eximes si qua imminutio imputabilitatis, extra ignorantiam affectatam, intercedat: quod multoties indicavimus. Et si quis privatae venerationi profert, ex verbis canonis, huc non venit.

(1) Lege, quaeso, perspicuam elucidationem in commentariis *Civiltà Cattolica* a. 1899, vol. I (s. XVII, V) pp. 18 sqq.

III.

Qui violentas manus in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum iniecerit [2343 § 4].

160. — Postrema censura percutientibus clericos irrogata nobis fit obviam, quae Ordinario proprio (percutientisne an percussi? Utique *percutientis,* quia de hoc judicando et absolvendo agitur: ceterum cfr. n. 55) reservatur et aliis poenis f. s. cumulari potest. *Clericos* heic accipimus quoslibet episcopali charactere carentes, licet episcopali jurisdictione potitos, modo ne Cardinales aut Legati Apostolicae Sedis sint: idcirco ab Abbatibus et Praelatis *nullius* ad tonsuratos, omnes una complectimur: et quod Renzio aliisque placuit etiam sacrorum alumnos huc venire a jure et a regulis interpretationis prorsus alienum est. A quo privilegio, sicut et a reliquis, quia ordini et non singulo concessis, clericus se abdicare nequit [123]: sed eo, ipso jure, destituitur, si legitime ad statum laicalem redigatur aut regressus fuerit [213], aut depositus pervicax ab Episcopo privetur jure habitum deferendi [2304]. Haec poena non tenet clericum quomodolibet sibi manus impingentem: disputant autem DD. num caedentem teneat, ex errore deceptum circa personam clerici: v. c. eum qui ratus se tundere parochum, percutiat vicarium corpore simillimum.

Religiosos accipimus professos vel professas in qualibet religione legitime approbata, etiam juris diocesani, sive clericali sive laicali: sive sollemniter sive simpliciter, sive perpetuo sive ad tempus: imo

novitios et novitias (1), non autem postulantes. Tertiarios quoque in communi viventes religiosis accensemus, modo in Congregatione religiosa, ab Episcopo condita vel approbata, et a Supremo moderatore Primo Ordini aggregata coalescant (2). Heremitas codex non agnoscit, ideo eos hodie praeterire omnino cogimur. An et puellae caritatis, S. Vincentio a Paulo legifero, huc veniant? Harum sodalitium mere saeculare est habendum (3), ideoque anteriore disciplina non immerito Ciolli (4) negabat eos comprehendi; sed hodierna utique videntur heic contineri [680].

IV.

Procurantes abortum. matre non excepta. effectu secuto [2350 § 1].

161. — Inspiciamus *primo* quid sibi velit *abortus*, quem Codex merito internecionibus accenset et quem juris poenalis nonnulli cultores hodierni inconsulte inter crimina alius speciei referunt (5). Abortus in jure canonico est *ejectio foetus immaturi*: requiritur ergo et matrem praegnantem esse licet paulo post conceptionem (6) et foetum ejici, i. e.

(1) Canon 614 ad canonem 119, cui in adnotatione aperte allegatur hic canon 2343, nos mittit; non ideo assequor cur id deneget Pighi.

(2) arg. ex can. 492 § 1.

(3) Documenta profert Bastien op. cit. pp. 403 sqq.

(4) op. cit. p. 109.

(5) Cfr. Marchetti *Compendio di diritto penale*. Florentiae. § 364.

(6) Abortus *ovularis* appellatur si infra tertium mensem a conceptione evenit; *foetalis*, si supra tertium et infra sextum.

extra alvum expelli, utique vi directe adhibita, et exinde foetum interire. Notio canonica differt a notione medicinae legalis, ex qua abortus proprie est foetura violenter interrupta, sive extra, sive intra uterum (1). Nobis igitur huc non venit embryotomia, nec craniotomia, nec acceleratio partus.

Obiter est animadvertendum nostra heic non referre utrum foetus animatus an nondum animatus sit. Novimus quidem philosophos et theologos disceptare et disceptaturos esse in quaestione subobscura circa momentum infusionis animae rationalis, aliis eam extemplo infundi, aliis post certum tempus a conceptione (imo invecta, nescio cur, distinctione, maribus post quadragesimum, foeminis post octogesimum diem) affirmantibus. Attamen quandocumque ejicitur, foetus humanus nunquam non est: quin etiam, si anteriore disciplina irregularitate ex homicidio procurans abortum non putabatur innodari nisi post *octoginta dies* a conceptione ex perspicuis verbis c. 20 *De homicidio* etc. (X, V, XII) et ex adoptata secunda favorabiliore opinione ex allatis, hodie [985, 4°] nullum discrimen temporis intercedit et irregularitas semper extat quia illico a conceptione foetus humanus est.

162. *Secundo* inquiramus qui et quando censuram contrahant. Contrahunt procurantes, mater scil. (de qua anteriore disciplina DD. ambigebant) ex aperta mentione canonis, et quotquot operam navant foetui ejiciendo, sive potionibus, sive vi

(1) Videsis hac de re, ex nostratibus, Filippi *Medicina legale*. Florentiae 1911 pp. 291 sqq.; Borri *Nozioni elementari di medicina legale*, Mediolani 1918, pp. 658 sqq.

exterius allata, sive etiam metu incusso ut mulier perturbata ante diem edat. Nec canon diremit litem de mandante et de mandatario, quorum alter alterum jubeat abortum procurare. Alii mandantem tantum, alii mandatarium tantum, alii, et meo quidem judicio verius, utrumque censura teneri arbitrantur (1). Certe censuram vitat qui abortum procurat praeter intentionem: puta si percusserit, quassaverit, terruerit foeminam et haec foetum emittat. Censura exsistit effectu secuto, scil. ex causa a procurante posita: si vero mulier ante effectum diem obeat, vel ex alio titulo immature abigat, ex. gr. quia praeceps ruit, procurans non innodatur, et ei favendum in dubio utrum sua an aliena causa foetus excussus fuerit. Quid si eum poeniteat admissi criminis, ante effectum? Eum negat censura teneri, effectu secuto, sententia, quae minus communis fortasse est sed et patronis est praeclara, et censurarum naturae, quae contumaces persequuntur, consentanea. Hunc tamen oportet adhibere, si quae adhuc subsint, remedia foetui detinendo.

163. — Clericos tanto crimine inquinatos canon per sententiam deponi jubet.

(1) *Ille* profecto; nam nonne *dejicit et qui mandat?* (fr. 152 § 1 *De diversis j. a. reg.* D. L. XVII); *hic* quia maleficium patrat, et si ex compendiosis verbis legis in illum gestit poenam a se abduci, ne obliviscamur *neminem ex suo delicto meliorem suam conditionem facere posse* (fr. 134 § 1 ib.).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

V.

Religiosus apostata a religione, ipso jure incurrit in excommunicationem proprio Superiori majori vel. si religio sit laicalis aut non exempta. Ordinario loci in quo commoratur, reservatam [2385].

164. - Apostatam intellegimus eum qui, sive sollemniter sive simpliciter sed perpetuo professus, e claustro illegitime secedit non reversurus, aut legitime egressus eo renuit regredi [641 § 1]. Veniunt huc tum viri, tum mulieres, cuilibet religioni, etiam juris dioecesani, adscripti: hoc uno discrepant apostatae a religione laicali (moniales nempe et religiosae, et viri quarumdam congregationum, quae alumnos augeri sacerdotio non patiuntur, v. c. Fratres a Misericordia nuncupati) ab apostatis a religione clericali, quia *horum* censura Superiori Majori reservatur, *illorum* Ordinario loci in quo versantur. Religionem tamen clericalem exemptam esse oportet; si non sit exempta, apostatarum absolutio, ceu in laicali, Ordinario reservatur. Et ratio hujus discriminis late patet. Siquidem in omni religione Superioribus inest dominativa potestas quae voto oboedentiae a subditis professis emisso nititur. Attamen potestas jurisdictionis ecclesiasticae utriusque fori nec Superioribus religionis laicalis, quantumvis exemptae, nec Superioribus religionis clericalis non exemptae tribuitur; *illis* quia jurisdictionis ecclesiasticae exercitium clericorum munus est (1);

(1) Utrum et quando laicis possit delegari succose discernit Sanguineti, *Juris Ecclesiastici institutiones*[4] Romae, 1901, p. 116.

istis quia congregatio non est legitime subducta ab Ordinarii jurisdictione: utrobique igitur jurisdictio ecclesiastica vel S. Sedis, vel Ordinarii (et si de quibusdam monialibus agitur, cumulative cum Praelato regulari) est. Exinde colliges jure prorsus absolutionem ab hac censura pro diversa specie vel Superiori Majori vel Ordinario reservari.

165. — Insuper hos omnes apostatas canon ab actibus legitimis excludit, privilegiis suae religionis spoliat, quin etiam, redeuntes voce activa et passiva perpetuo orbat, praeter alias poenas f. s. forte irrogandas.

VI.

Professi votorum simplicium perpetuorum tam in ordinibus quam in congregationibus religiosis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes [2388].

166. — Heic accommodanda sunt quae superius nn. 145 et 146 de religiosis sollemniter professis locuti sumus. Superest ut dignoscamus quinam hac censura corripiantur. *Primo* quidem ii qui in Congregatione, in qua scil. vota simplicia nuncupantur, perpetuo sunt professi: sive viri sive foeminae: non ideo si coniugium inire praesumant, votis plerumque ad triennium valituris devincti, quibus [574] quasi in vestibulo, ante professionem perpetuam emittendam, morari jure novo jubentur.

Secundo coërcentur ii qui in Ordinibus vota simplicia emiserunt. Nec obiicies in Ordine vota sollemnia edi [488, 2°]: nam in Societate Jesu, praeter sodales sollemniter professos, sunt et Coadiutores votis perpetuis simplicibus adstricti: insuper reperies

quosdam Ordines monialium, ubi hodie, ex S. Sedis edicto vota simplicia nuncupantur (quarum plus una vice mentionem intulimus); demum haec censura respicit apostatas adhuc superstistes qui anteriore disciplina vota simplicia in Ordine sunt professi, novitiatu peracto, antequam ad sollemnem professionem admitterentur. Haec vota simplicia praemitti, triennii spatio, nisi particularia statuta longiorem moram requirerent jusserant Pius IX P. M. die 19 Martii a. 1857 a viris, et Leo XIII die 3 Maji a. 1902 a monialibus; sed ex parte voventis (et in hoc a novo jure - 574 - differt antiquatum) perpetua habebantur ex decr. S. Cong. super statu Regularium diei 10 jun. 1858.

Tertio hac censura multantur quotquot cum his connubio se jungunt: quae nuptiae, nisi quod aliud impedimentum obstet, valide ineuntur, cum vota simplicia matrimonii dirimendi robore destituantur. Excipe tamen [1073] illa vota simplicia, ceu in Societate Jesu emissa, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto, vis addita sit nuptias irritandi.

SECTIO QUINTA

quae est de excommunicationibus nemini reservatis

I.

Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant [2318 § 2].

167. — Auctores pari gressu cum editoribus veniunt; de his satis superque n. 85 disseruimus:

illi profecto sunt auctores seu versionis, seu adnotationis, seu commentarii, quibus non prosunt exantlati forte labores ad normam catholicae doctrinae; nam censura haec non errantes, sed licentiam nihili pendentes cohibet. Quam poenam Codex ex Apostolicis Litteris *Officiorum ac munerum* diei 25 januarii a. 1897 est mutuatus, sed terminis in clariorem lucem emendatis, cum editores magis quam typothetas respiciat. Auctores poena tenentur si libros, adnotationes, commentarios typis mandant; quam ab iis vitari arbitratur Pennacchi si manu scriptum vendant nulla condicione adiecta illius imprimendi (1): quod, hercle, si a cl. viro dissidere licet, perdifficile est; cur, sodes, manu scriptum venum it et emitur nisi ut publici juris fiat? Praeterquam quod charta involvendis aromatis mercatori cedat. Igitur hanc condicionem subesse et ab auctore, tacite saltem, proponi ego puto: et *ex subtilitate, hominum voluntates cadere non debent* (2). Quaeres, quid judicandum, si quis spe lucri adactus versionem adnotationibus auctam et legitime approbatam, ab auctore publici juris factam, recudat (3): utique is injustae aemulationis est reus: sed censura eum non insequitur, cum opus Superiori competenti probatum fuerit.

(1) *In Constitutionem Apostolicam* « Officiorum ac Munerum » etc. *brevis commentatio.* Romae, 1898, p. 254.

(2) L. 13 § 2 C. VIII, XXXVII (XXXVIII).

(3) Hanc injuriam inlatam fuisse Antonio Martinio, paulo post ab ipso elucubratam versionem italicam, docet Guasti *Storia aneddota del Volgarizzamento dei due Testamenti fatto dall'abb. A. Martini* in *Opere*. Parte seconda. Prati 1899, pp. 757 sqq.

168. — Libros S. Scripturae intellegimus, etsi unum tantum, quovis sermone exaratum, sed non anthologiam, hinc inde excerptam v. c. linguae addiscendae gratia. Versionum instar sunt paraphrases, oratione numeris adstricta aut soluta, quae prolixiore stylo concinnantur. Adnotationes tamquam glossae, textum elucidant: commentarii penitiora evolvunt. Nec refert si hi seorsim a libro edantur: at, quoniam in odiosis versamur, commentarios stricte accipi oportet: non ideo cum his veniunt studia seu specimina circa hoc illudve Scripturae argumentum: nec prolegomena, nec libri propaedeutici aut institutionum biblicarum, nec apparatus critici variarum lectionum. Imo nec homiliae, sermones, orationes de re biblica, nisi propius textui explanando inhaereant, quales essent lectiones exegeticae aut theologales. At si hujusmodi libros poena non respicit, auctores et in solidum editores obligatio urget praeviae censurae obeundae (1385 § 1, 1°, 2°].

II.

Qui ausi fuerint mandare aut cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240 § 1 [2339] scil. ex laudato canone excommunicatos vel interdictos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.

169. — Hoc discrepat censura, quam explicandam aggredimur, a censura lata in Constitutione A. S., tum quia ausum requirit (1), tum quia diligentius recenset

(1) Et heic Codex mitiorem disciplinam sexti Decretalium (c. 2 *de Haeret.* V, II ubi legimus: *scienter praesumpserint Ecclesiasticae tradere sepulturae*) et Clementinae (c. 1, *de sepulturis* III,VII ubi legimus: *propriae temeritatis audacia... scienter sepelire praesumunt*) suscitat.

quos sub poena vetat religiose efferri et condi, scil., praeter haereticos notorios et nominatim excommunicatos aut interdictos ab illa memoratos, etiam infideles, apostatas a fide et schismaticos. Idcirco hodie huc veniunt infideles, scil. baptismate non abluti (si catechumenos et infantes christianis parentibus natos excipias: *illos* baptisma flaminis redemit, *hos* aequum est infidelibus non accenseri (1)), apostatae a fide, haeretici, schismatici, excommunicati et interdicti (non item suspensi) post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, nisi qua dederint ante mortem poenitentiae indicia. Apostasiam, haeresim, schisma innotescere oportet, aut certis argumentis procul dubio coniici, v. c. si quis haeretice aut civiliter iniit connubium, vel liberos susceptos acatholice instituit aut institui est passus (2), vel massonicam sectam perfricta fronte est professus. Hos omnes et solos tradi ecclesiasticae sepulturae invehit censuram mandantibus et cogentibus; non ideo reliquos, quos jus canonicum parentalibus arcet, scil. qui sibi mortem consciverint, aut ex duello occubuerint, aut corpus comburi jusserint, aut publice in peccato insorduerint [1240].

170. — Sepultura ecclesiastica triplici elemento constat: delatione corporis in Ecclesiam, justis funeribus, et tumulatione in loco benedicto (1204): quorum *primum*, si quid opinor, magis accidentale est, *secundum* essentiale, *tertium* integrale Quippe sine *illo* funus ecclesiasticum instauratur, puta, si quis intra septa Ecclesiae diem obierit, aut si ma-

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula th. mor.*[4]. III, 15 n. 19

(2) Ex decr. S. O. diei 8 maji a. 1907 (cfr. *Monitore Ecclesiastico* XX, 339).

gistratus vetuerit pompam duci et jusserit defunctum privatim efferri, aut si, templo collabente aut per vim clauso, inferiae alibi persolvantur: at sine *isto* nunquam, sine *hoc* fere nunquam sepultura ecclesiastica intellegitur (1). Idcirco ut censurae fiat locus, opus est et preces rituales extorqueri, et corpus intrudi in locum legitime deputatum fidelibus condendis, scil. utrumque, meo quidem judicio: sed quoniam DD. putant censuram haberi sola invectione corporis in locum benedictum, horum sententiae opinionem meam posthabeo. Locus deputatur benedictione vel polyandrio vel singulis scrobibus rite impertita [1206]: et in hac altera specie, infidelem, haereticum condi prope tumulum catholici benedictum a censura vacat.

171. — Moribus nostris mandat vel cogit is qui publico munere fungitur: puta si magister urbis jubeat corpus haeretici humari in area catholicis constituta: sed aliquando et privati mandare et cogere possunt; si quis e. gr. sua sponte mandet haereticum recipi in conditorium gentilitium benedictum. Censura tamen non exsurgit nisi effectu secuto: siquidem mandantes, cogentes tenet, non mandatarios, coactos: at si mandatum, vis, in cassum cesserit, delictum frustratum non immerito dices. Certe excommunicatio non tenet recipientes, admittentes (2) sed nec fossores, nec opifices qui operculo tumulum obstruunt, nec eos qui funus comitantur.

(1) *Fere nunquam*: nam si quis v. c. enavigans fato cedat, post exequias fluctibus committitur.

(2) — Hos tamen sponte sepulturam donantes manet, ex hoc canone, interdictum ab ingressu Ecclesiae, de quo inferius n. 182.

III.

Si beneplacitum apostolicum (ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles) praescriptum fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet excommunicatio L. S. nemini reservata (2347, 3°).

172. — Canones [534; 1530] alienari vetant immobilia, vel mobilia quae servando servari possunt (non ideo v. c. edulia, sicubi forte Ecclesiae offerantur vel ab ea percipiantur, quae cito putrescunt) nisi Superiore annuente, scil. Apostolica Sede si res sit pretiosa aut ejus valor triginta millia libellarum excedit (1): secus, Ordinarius licentiam impertitur, et quidem infra mille libellas audito administrationis consilio (nisi res sit minimi momenti), supra mille libellas, consilio et Capitulo cathedrali distractionem probantibus, utrobique assentientibus iis cuja interest [1532]. Haec tamen censura complectitur ea tantum bona, quorum alienatio beneplacito apostolico subiicitur.

173. — *Primo* igitur veniunt bona, quorum valor triginta millia libellarum superat et in his immobilia

(1) Si sedulo loqui velis, *valorem* cum *impensa* aut cum *pretio* soluto ne permisceas: aliquando enim res exigui valoris magno dispendio struitur, aut comparatur: aut minimi res praestantissima emitur. *Valor* rei inest et ab oeconomistis dupliciter dispescitur: *valor usus* est quanti res utenti interest et ex adiunctis discrepat: sic unus acus sarcitori alium non habenti plurimi interest; *valor permutationis* consistit in permutabilitate rei et pretio vulgari definitur. Heic valorem permutationis attendimus, illum nempe quo res in commercio instruitur. Ceterum, saepe (cfr. can. 1532) valor et pretium convertuntur.

recensemus (1): dein res pretiosae quae procul dubio mobiles sunt, et hisce adnumerabis census publicos, titulos (2), non tamen pecuniam arcario vel argentario creditam, nec reliquias (3), nec ex DD. interpretatione, supellectilem usu tritam, quae distrahitur novae comparandae (4).

174. Quaenam sint res pretiosae liquet ex canone 1497 § 2: in his valor notabilis attenditur *ex arte* (v. c. caelatum opus aurificis eximii), vel *ex*

(1) Nec hodie ab his demi opus est, ceu in doctrina anterioris disciplinae immobilia lato sensu, nec ea quae solo tenentur (arbores v. c.), cum ex dicendis valor rei distrahendae pretio supputetur: idcirco si haec immobilia latioris significationis fiant *mobilia pretiosa*, huc redeunt.

(2) Si schedae mensariae sint ex publico aerario et alicui sint inscriptae cum immobilibus aliquantisper veniunt: nam hypothecae subiiciuntur (cfr. C. C. it. a. 1967, 4°). Hodie, secus ac anteriore recentissimo jure (S. C. C. die 17 jan. a. 1906) administratores possunt *titulos ad latorem*, de solo consensu Ordinarii, consilii dioecesani et aliorum quorum intersit [1539 § 2] *caute* commutare (si vero *quid aleatorii* conversio secum ferat, non immerito *Monitore Ecclesiastico* XXIX, 334, arbitratur beneplacitum apostolicum esse expetendum): quam interpellationem si praetermiserint, hac censura non detinentur quia non versamur in specie beneplaciti apostolici.

(3) *Civiltà Cattolica* 1917, I, pp. 409 sqq.; sed has quoque distrahi aut alio transferri, si sint insignes, Sede Apostolica inconsulta, non licet [1281 § 1].

(4) An his bonis annumerentur *jura mere incorporalia*? (v. c. praecedentiae?) Anteriore disciplina si quis marte suo de his transegisset, eum quasi male alienantem corripi extravagante *Ambitiosae* censuerat card. De Luca, auctor optimae notae: sed si canones codicis hac super re perpenderis, ubique reperies ea bona comprehendi quae spatio, ex se se aut aequivalenter — scil. fictione juris — describuntur.

historia (supellex ex gr. clarissimi viri) vel *ex materia* (calix v. g. auro gemmisque gravis). Attamen, si valorem ex arte et ex historia non ex pretio venali aestimamus, quod saepe difficulter ad calculum revocatur, nec in re nostra necessarium est (quippe valor notabilis rei ex arte vel historia totus profluit), valorem ex materia utique pretio conferri oportet. Quousque hoc pretium attingat, Codex aperte non edicit. Olim DD. rem pretiosam supra valorem viginti quinque aureorum de camera habere consueverant (1), sed aetate nostra ulterius progressi ad quingentas, imo ad mille libellas produxerant; et si comparaveris valorem pecuniae aevi nostri cum saeculis praeteritis (2) haec opinio satis probabilis videbatur. Undenam hodie fines pretii metiemur? Utrum ex sententia interpretum anterioris disciplinae, an aliunde? Pighi in illa sistit, ideoque arbitratur mobilia quae pluris quam mille libellis aestimentur

---

(1) Anceps erat doctrina canonistarum in comparandis *viginti quinque aureis* monetae nostrae. Sed computatio accurata instituitur, si prae oculis habeatur declaratio S. Congregationis Ep. et Reg. diei 30 maji a. 1873 (quam refert *Monitore Ecclesiastico* I, 335): haec apprime cohaerens Edicto Cardinalis Antonelli, Secretarii Status, diei 10 jun. a. 1866 (cfr. *Civiltà Cattolica* 1866, III pp. 100 sqq.), statuit scutatum romanum aequiparari libellis 5, 375. Porro cum ex omnium sententia *viginti quinque aurei* de camera pares sint *quadraginta et unii scutatis romanis*, si multiplices semel supra quadragies libellas 5,375, jam habebis summam libellarum 220,375.

(2) Oscillationem valoris metallorum saeculo XVII, post Americam detectam, coepisse et serius multiplici ex causa perseverasse docent oeconomistae; inter recentiores, ex nostratibus, cfr. Arduino *Elementi di Economia politica* Liburni 1903 §§ 85 sqq.; Valenti *Principii di scienza economica*[2] Florentiae 1909 §§ 174 sqq.

non posse alienari citra apostolicum beneplacitum: secus censuram contrahi (1). Quod mihi non placet; censeo enim (et sententiam meam demisse aperire audeo) valorem rei pretiosae *ex materia*, quia *in aequiparatis*, ex veterum jurisconsultorum adagio, *eadem currit ratio*, hoc a triginta mille libellis et ultra pendendum esse: et infra nec apostolici beneplaciti provocandi nec hujus censurae speciem haberi. In antiquata sane disciplina, nulla distinctione invecta inter res immobiles et res mobiles ex valore, vigintiquinque aurei de camera aequa prorsus lance statuebant terminum, ultra quem mobilia, ex DD. communi sententia, pretiosa habebantur, et citra quem, ex resp. S. C. Ep. et Reg. diei 1 maj. a. 1840 (2), immobilia solo nutu Episcopi distrahebantur. Cur hodie discrepet pretium venale rei immobilis a pretio rei mobilis? Alioquin Pighii sententiam amplexi, si v. c. supellectilem, quae vix mille libellas superet, distrahere cupimus, S. Sedem interpellare cogemur: si domum satis amplam, quae illa supellectile ornatur, et quae tricies mille libellis forte non aestimetur, ab Ordinario veniam impetrabimus. Quod profecto absonum videtur.

(1) Obiter animadvertam me manibus terere *tertiam editionem* commentarii a clarissimo theologo veronensi expoliti.

(2) Hoc responsum authentice declaravit canonem: *Terrulas ac exiguas vineolas* etc. in Decreto c. 53 c. XII qu. II. Nec ratiocinatio nostra infringitur, quia DD. viginti quinque aureos (lib. 220.375) ad mille libellas ampliaverint: utrobique enim, tam in mobilibus quam in immobilibus, haec summa prolata est. Animadvertere demum oportet hac nostra aetate ampliores facultates in hoc argumento delegari consuevisse aut Metropolitis aut ipsis Episcopis.

175. — Haec tamen bona, sive immobilia, sive mobilia, ecclesiastica sensu proprio esse opus est; qua de re cfr. n. 136. Ea proinde quae sunt cappellaniae laicalis, patrimonii clericalis, aut quae nondum in patrimonium Ecclesiae devenerunt (v. c. legatum Ecclesiae, pendente condicione suspensiva sub qua relictum fuerat) huc non veniunt.

176. Alienatio, quam haec censura percellit, non concipitur nisi translatione dominii: scil. si bona vendas, dones, permutes, in emphyteusim concedas (quippe haec jure nostro praedii proprietatem emphyteutae confert), mutuo concedas, censura teneris: non tamen si commodes, aut oblatam repudies, nec si loces, aut hypothecae subdas, aut in antichresim concedas; nec si in rebus dubiis transegeris, in iis scil. in quibus et jus dubium est, et intentandae litis dubius est eventus. Hodierna enim ab anteriore disciplina differt, quae in Extrav. *Ambitiosae* (1), censura mulctabat, praeter alienationem, etiam *concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium.* Nec obiicias locationes fere iisdem licentiis supponendas esse ex can. 1541 ac alienationes; nam poenas Codex invehit illegitime alienantibus: ergo non plus ultra. Alienatio autem perficitur regulis et sollemnibus juris civilis paciscentium [1529] et, quia *locus regit actum*, huic standum, si forte aut stipulans aut promittens, aut uterque exteri sint: ideo penes nos, ante traditionem (Cod. civ. aa. 1125, 1448); et si de immobilibus agitur, scriptura confecta (ib. a. 1314, 1°) etiamsi nondum

(1) Extrav. comm. l. III, t. IV. Hanc extravagantem diserte servari jusserat Constitutio A. S.

ranscripta, cum transcriptio necessaria sit solum erga tertios (1).

Plures, iidemque graves, DD. arbitrantur censura eximi eos qui inter ipsas Ecclesias seu Loca Pia bona distrahunt: sed nescio an recte: singulae quippe Ecclesiae et singulae personae morales, canonice erectae, jure dominii instruuntur [1495 § 2]: et si alienatio est dominii translatio, profecto ex altero ad alterum, nonne heic vera alienatio exsurgit? et si illegitime exsurgit, cur a poena vacat?

177. Simul atque alienatio contra jus perficitur censuram infert:

a) alienantibus (nec hodie quaestioni, antehac a DD. disceptatae, teneanturne locorum Ordinarii fit locus):

b) recipientibus;

c) consentientibus, ratione scil. officii, puta, Episcopo jus suum praetergresso, administratori, aedili; sed illis, istis, his ex aequo, si *scienter* beneplacitum apostolicum neglexerint: (secus ac anteriore disciplina quae praesumptionem *solis percipientibus* circumscribebat): ideoque ex regula

(1) Theologi ad trutinam revocant facti speciem alienantis condicione adiecta beneplaciti apostolici impetrandi, quem consueverunt a censura immunem dicere, modo ne, ante permissam potestatem, possessionem emptori tradiderit. (cfr. *Monitore Ecclesiastico* XXI.36 sq.). Jure enim romano traditione dominia transferuntur. Hodie tamen paulo aliter solutio instituitur; juri scil. vigenti est standum (quod rursus animadvertisse libet; cfr. n. 136); et cum, ante possessionem, solo consensu, legitime praestito, dominium transferatur, eum non posse, si contractus scripturam requirat, hanc conficere, nisi velit censura obstringi, liquet.

pluries tradita, excutienda est eorum imputabilitas, ut censura dignoscatur.

Quid, si venumdederis, cum pacto retrovenditionis? Si quinquennio elapso (C. C. a. 1516) non redimas, re definitive in alterius dominium translata, censura teneris. Et quia rubrica hujus tituli in Codice juris canonici *de contractibus* agit, si aliter quam conventione quis alienaverit, receperit, censura vacat: v. c. si administratoris socordia patiatur rem usucapi. Viget etiam doctrina a S. Alphonso recepta et tradita (1), juxta quam citra poenam haec bona alienantur si tempus non suppetat exquirendi beneplaciti, modo Episcopi consensus intercedat: quae species vix hodie usu venit, nisi forte a re publica, ex gr. tempore belli, parochus compellatur agros, domum beneficii illico alienare, denormare. Censuram tamen non declinat is qui consulto, beneplaciti apostolici vitandi causa, fundum frustratim dividit et partes, aliam ex alia, vel aliam aliis, diversis contractibus distrahit: nemini enim fraus sua patrocinatur et *malitiis non est indulgendum* (2); quin etiam licentia irrita est, quandoque rei divisibilis pars anterius alienata reticetur [1532 § 4].

---

(1) Theol. Mor. IV, 187, VI.
(2) fr. 38 D. VI, 1.

IV.

Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam [2352].

178 — Censuram jamdiu latam in eum qui foeminam adigit ut religionem ingrediatur vel profiteatur canon producit in eum qui *viros* impellit ut religiosi aut clerici fiant; et e cineribus excitat poenas jamdiu vigentes in decreto Gratiani (1). Coactio multifariam patratur: seu minis, seu vi, seu importunis precibus et odiosis suasionibus, seu directe seu oblique: quoquo modo voluntas aegre flectitur, censura tenet flectentes, omnes prorsus praeter quam Cardinales. Terminus coactionis est vel status clericalis, qui prima tonsura suscipitur, vel ingressus in religionem, scil. per novitiatum, vel quaelibet professio. Censura, effectu secuto, exsurgit et multiplicatur, si prius ad ingressum, postea ad professionem quis nolentem premat, quin etiam si ex intervallo professionem temporariam et perpetuam urgeat. Sed si eum, qui sua sponte clericus factus est, adigas ut majores ordines conscendat, censura non teneris; nec hodie viget excommunicatio, a Tridentino lata et a Constitutione A. S. recepta, in impedientes, contraria coactione, quominus foemina religionem ingrediatur, neu vota emittat.

---

(1) CC. 1, 7 D. LXXIV; c. 23, C. XXV, qu. II.

V.

Qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare... non absolvendus, nisi postquam obligationi satisfecerit, aut se satisfacturum serio promiserit [2368 § 2].

179. — Obligatio denuntiandi cum censura sollicitatum tenet, non alterum qui sollicitationem norit, et ei, quem confessarius sub gravi edocere jubetur, *dies cedit* a notitia oneris, poenae et temporis, aut ab obice remoto, si forte obstaculis praepediatur; *dies venit*, mense transacto, nempe [34 § 3, 3°] non computato die initiali: et crimine sollicitationis non delato, censura cito exsurgit, quam is excutere non valet nisi absolutione post denuntiationem peractam, aut si serio polliceatur se officio suo satisfacturum: nec in eam reincidit, ex Ianuarii Bucceroni sententia (1), si promissis non steterit. Denuntiatio fit aut Ordinario aut Congregationi S. Officii: si vero sollicitatus hos adire nequeat, aut scripto aut per internuntium delationem ferri necesse est (2). Quid, si impeditus quominus voce deferat cunctectur aut renuat alteri aut epistolae denuntiationem committere? Frassinetti putat sua probabilitate non destitui opinionem asserentem hac in specie eum obligatione solvi (3); sed haec sententia post. cit. Instructionem seponenda est.

---

(1) Op. cit. II, 1271.
(2) Instr. diei 20 Febr. a. 1867.
(3) *Compendio della Theologia morale*[3] Genuae 1867 p. 652.

CAPUT SECUNDUM

De interdictis latae sententiae

180. - Interdicti nomen a romani fontis jure in canonicum deductum est: attamen si ibi statuta Praetoris, inter duos dicentis, seu *prohibitoria*, seu *exhibitoria*, seu *restitutoria* indicabat, heic suis propriis notionibus instruitur, discretis quidem, sed universim prohibentibus. Et quae sunt l. s., tria recensentur, quae confestim et facili negotio lustrabimus: si quae tamen, sive l. s. sive f. s., in communitatem, collegium irrogantur, aut locum afficiunt, causam dantes, i. e. criminis reos, personaliter quoque obstringunt [2338 § 4].

I.

Universitates, collegia, capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis, pro tempore existentis, ad universale concilium appellantes, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae reservatum incurrunt (2332).

181. — Delictum explanavimus nn. 90-93 ubi de excommunicatione l. s. in *singulos* lata sermonem instituimus. Heic interdictum, utique specialiter S. Sedi reservatum, personas morales percellit; quas oportet legitime coaluisse [100 § 1]: si qui vesanae audaciae homines coierint appellantes, horum *societas*, non collegium, intelligitur: quod

apprime novit qui juris rudimenta attigerit (1). Et si ab universitate appellante quis dissederit, aut provocationi calculum non adiecerit, puta, quia absens, iste, *qua privatus*, nec excommunicatione, uti patet, sed nec interdicto tenebitur [2276].

II.

Sponte sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis, aliisve sive excommunicatis sive interdictis post sententiam condemnatoriam seu declaratoriam, donantes contrahunt interdictum ab ingressu Ecclesiae ordinario reservatum (2339).

182. — Interdictum hoc aequo pede venit cum excommunicatione, de qua nn. 169 sqq. egimus, ex qua proinde criminis percussi perspicua notio haurienda est: sed *haec* mandantes seu cogentes tenet, *illud* sponte, nulla scil. vi aut lege reipublicae adactos, donantes sepulturam ecclesiasticam. Qui interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, nempe [2277] ita circumscribuntur ut nec divinis officiis in Ecclesia operari, nec iis, praeterquam praedicationi (arg. can. 2259 § 1), adesse, nec ecclesiastice tumulari valeant: assistentes tamen aut sepulti nec expelluntur nec amoventur. Cum Ecclesiis huc veniunt procul dubio oratoria publica [1191 § 1] et verius semipublica; non item privata, ubi interdictus sacra peragit et audit, nec coemeteria, si forte templum circumeant, unde potest, extra fores et per clathros, sacris assistere; sed in coemeterio condi nequit,

(1) Imo ne societas quidem juris, sed facti tantummodo; *nec enim ulla societas maleficiorum est.* Fr. 1 § 14 D. XXVII, III.

quia ecclesiastica sepultura arcetur. Privatim tamen in Ecclesia orare, imo et sacramentis refici potest, ex DD. sententia. Absolutio Ordinario reservatur.

III.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure contrahunt, donec arbitrio ejus, cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint. (2338 § 3).

183. — Inter dilucida verba canonis quae criminis speciem describunt, duo attingi praestat; *primo*, illud *scienter* (cfr. n. 32); *deinde*, opus est officia divina *per censuram* prohiberi clericis contra jus admissis. Exquirere juvat laicosne hoc interdictum teneat. Anteriori jure DD. negabant, sed nescio quo pacto cum Bonifacius VIII disertis verbis caverit, interdicti poena comminata, *ne aliqui saeculares aut regulares cujuscumque ordinis, religionis, status existant . . . . scienter celebrent vel faciant celebrari divina* (1), quae verba aliquam saltem dubitationem ingerunt. Et hodie opinor laicos posse hoc interdicto illaqueari: v. c. si in seditiosa civitate jubeantur sacerdotes, contempto interdicto, sollemniter celebrare (ceu Venetiis saec. XVII ineunte), vel si patronus ecclesiam committat presbytero nominatim suspenso, quis neget hos jubentes poena teneri? Nonne *scienter* divina celebrari faciunt, admittunt? A qua poena quilibet absolvit, postquam mulctatus congruenter

(1) c. 8 *De privil.* in VI (V, VII).

satisfecerit arbitrio ejus cujus sententiam flocci fecit. Et D'Annibale putat, satisfactione praestita et acceptata, absolutionem tacite intercedere (1): quod, si verba legis perpendas, probabile est.

CAPUT TERTIUM

De suspensionibus latae sententiae

184. — Suspensionis nomen, sermoni latino haud ignotum, jus canonicum assumpsit denotandae *remotioni a sacris peragendis*: et tralaticia ratione a verbo *suspendere* profluit, quo res in altum attolli indicantur: cfr. illud Vergilii:

. . . . . *ante*
Garrula quam tignis nidum suspendat *hirundo.*

(Georg. IV, 306 sq.)

Ii porro qui solo sursum amoventur quidvis agere vetantur. Suspensiones enodabimus, quae speciem censurae prae se ferunt, seposita igitur lata a canone 2410, quam nullo pacto censuram existimabis. Novimus enim suspensionem ferri posse etiam ad instar poenae vindicativae (cfr. n. 41): et hac ratione consulto praeterimus etiam suspensiones latas a can. 2373, quae censuris non sunt permiscendae; nam ut lucida verba canonis omittamus, in Episcopos irrogantur quos ceterae suspensiones praetergrediuntur.

(1) *Summula* I, 396 n. 2.

SECTIO PRIMA

quae est de suspensionibus Sanctae Sedi reservatis

I.

Episcopus aliquem consecrans in episcopum, episcopi vel, loco episcopi, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato ipso jure suspensi sunt donec sedes apostolica eos dispensaverit (2370).

185. — Huic suspensioni non obest si is, qui consecrationem recipit, forte fuerit a R. Pontifice, sive in Consistorio sive per Breve, renuntiatus Episcopus. Et haec suspensio quia generaliter lata tum ab officio, nempe a quovis ordine et a jurisdictione, tum a beneficio intellegitur [2278 § 2] (1). Iansenianae sectae asseclae in Batavia, jam a duobus saeculis, veteres Catholici in Germania et in Helvetia, patrum memoria, Mariavitae in Polonia, nostra aetate, has nefarias consecrationes susceperunt et tradiderunt.

II.

Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia sacramenta ministraverint vel receperint sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam (2371).

186. — Tribus criminibus, mox ex ordine recensendis, poena reposcitur: sed tergemina suspensio,

(1) Cum primo lata fuit per Breve *Charitas* diei 13 Aprilis a. 1791 in gliscens schisma gallicanum consecrantes et consecratos *ab episcopali* tantum *ordine* suspensos declaraverat. Cfr. Giobbio *La Chiesa e lo Stato durante la Rivoluzione 1789-1799*. Romae 1905 pp. 91 sqq.

probabiliter saltem, clericos tantummodo, non Episcopos, quia heic non expresse *in censura irroganda* nominatos afficit (cfr. n. 23).

187. — *Ascensus simoniacus ad ordines*, nedum majores, sed et minores intellegitur: non igitur ad tonsuram; simonia autem realis requiritur, scil. ultro citroque in pactum deducta et saltem inchoative consummata: quam si alter, clerico necopinante, cum Episcopo patraverit, neuter in censuram labitur: non ordinatus, quia expers culpae, non paciscens, etsi forte clericus, quia suspensio afficit clericos promotos.

188. — *Sacramentorum administratio* non complectitur sacramentalia, nec actus jurisdictionis, puta absolutionem a censuris, institutionem, collationem beneficii aut facultatis audiendi confessiones. Et quoniam certum est matrimonii ministros esse contrahentes (1), si parochus nuptiis assistat pecunia illectus, a censura est immunis.

189. — *Sacramentorum receptioni* compone modo dicta de ministratione. Recole tamen nos in argu-

(1) Sententia, quam Melchior Canus pro viribus asseruerat (*De locis theologicis* l. VIII c. V; in editione Bassanensi a. 1746 pp. 241 sqq.) sacerdotem nempe esse matrimonii ministrum, theologia scholastica restaurata, ad interitum properavit. Illam ad trutinam historicam revocavi in dissertatiuncula mea *La precedenza del matrimonio civile durante il Regno italico nella diocesi di Novara*. Novariae 1914. Ceterum traditio utriusque Ecclesiae, occidentalis nempe et orientalis (quidquid in contrarium asserat Papp-Szilasgyi in *Enchiridio Juris Ecclesiae Orientalis Catholicae* Magno Varadini 1862 p. 411) eam enervaverat.

mento simoniae versari; ideo si clericus (laicos heic praeterimus quos suspensio non afficit) injustam pastoris vexationem juste redimat, v. c. parochum, inique abnuentem, pecunia flectat ut se Communione reficiat, censuram declinat.

III.

Suspensionem a Divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur (2372).

190. — Heic pro gemina specie, censura prius, privatio postea infligitur. Suspensio a divinis, scil. ab omni exercitio ordinis (secus ac anteriori disciplina quae tantummodo ordinem illegitime susceptum circumscribebat) tenet *praesumentem* recipere, quem igitur ignorantia non affectata, metus acerbus excusant: bona fide suscipiens nulla censura implicatur, at ordinem receptum exercere vetatur, donec suus Episcopus eum dispensaverit; clausula enim *donec dispensetur* consuevit Episcopis regulariter accommodari (1). Ideo *illum* resipientem Sancta Sedes divinis operandis restituit: *hunc* ordini male suscepto Episcopus idoneum reddit: *ille* suspensionem facto aspernatus, fit irregularis: *hic*, si ordinem exerceat marte suo, irregularis non habetur, quia carentia non decernitur ad instar poenae, quae alioquin innocenti non irrogatur. Utrobique

(1) Cfr. Reiffenstuel *Jus canonicum universum* ad tit. *De Constit.* nn. 467-470.

tamen de ordinibus (minoribus, majoribus) non de prima tonsura agitur: et conferens perhibetur censura innodatus *post* (non ideo *ante*) sententiam, censura utique quae ab ordinum collatione arceat: quapropter si Episcopus à jurisdictione, vel ab aliquo ordine conferendo sit suspensus et alium quis recipiat, censura haec vacat. Praeter conferentem censura obstrictum, heic perhibetur notorius apostata, haereticus, schismaticus; v. c. episcopi ecclesiarum orientalium dissidentium aut e secta veterum catholicorum: quos omnes reapse dignosci facillimum est.

IV.

Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si in majoribus ordinibus constitutus, ipso facto suspensus manet, donec S. Apostolicae aliter visum fuerit (2387).

191. — Haec suspensio, si censura ad amussim non intelligitur, profecto ad instar censurae fertur, et censura praesumitur [2255 § 2] nam dolum profitentis insequitur. Suspenso huic notorietas haeret; ideo, si quid opinor, exsulat hinc species casus occulti (cfr. n. 57): quin etiam, cum haec poena nedum delinquenti corripiendo sed et ordini publico consulit, ne scil. religiosi dimissi pro lubitu se in clerum intrudant, nec in casibus urgentioribus videtur posse confessarius ab ea absolvere, sed res ultro S. Sedi est deferenda. Duo tamen intercedere oportet; et nullitatem professionis doli causa declaratam: et religiosum in sacris versari.

V.

Religiosus in sacris qui dimittatur ob delictum quod jure communi nec infamia juris, nec depositione neu degradatione puniatur, ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit [671, 1°].

192. — Heic delictum ex poena perpenditur; poena autem a jure communi, non ideo singulari, est reposcenda. Et in hac specie absolutio tota a nutu S. Sedis pendere videtur, ob rationem in superiore censura explananda allatam.

SECTIO SECUNDA

quae est de suspensionibus Ordinario reservatis

I.

Clericus, si non obtenta ab ordinario loci licentia aliam personam (infra eas de quibus nn. 105, 128 egimus) privilegio fori fruentem, ad judicem laicum trahere ausus fuerit incurrit ipso facto suspensionem ab officio reservatam ordinario [2341].

193. — De privilegio fori bis mentionem intulimus. Haec suspensio tuetur:

1) Clericos quoslibet, infra Episcopos, Abbates vel Praelatos *nullius* aut Superiores Majores religionum juris pontificii; hos quippe trahi excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam invehit (cfr. n. 127).

2) Religiosos, quibuscum veniunt novitii, laici, iique de quibus egimus n. 160.

194. — Haec suspensio est *ab officio*, scil. ab ordine, jurisdictione et administratione ex officio

competente, excepta administratione beneficii [2279 § 1]. Licentia autem, huic censurae vitandae, impetratur ab Ordinario loci, i. e. fori laicalis, quo clericus, religiosus provocatur.

II.

Religiosus fugitivus incurrit in suspensionem proprio superiori majori reservatam, si sit in sacris [2386].

195. — Religiosus fugitivus est is qui domo religiosa aufugit cum animo redeundi [644 § 3]; et hoc postremo ab apostata differt. Fugere est se subducere claustris, marte suo, nulla aut levi causa intercedente : si vero gravis causa subsit v. c. si quis se a saevo praeside ad Provincialem aut ad Generalem contulerit, ex aequitate fugitivus non est : nec is qui, insalutato Superiore, abscedit deambulatum, aut levitatis sive curiositatis ergo, confestim reversurus.

SECTIO TERTIA

quae est de suspensionibus nemini reservatis

I.

Sacerdos qui sine necessaria jurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus [2366].

196. — In secunda specie hujus canonis agitur de peccatis reservatis, non de censuris reservatis,

de quibus egimus nn. 122 sqq. Quaeres in praeliminio utrum absolutio a praesumente impartita valeat ; nequaquam si rem *ex se* attendas: recole veterum effatum : *nullus major defectus quam defectus potestatis*. At Ecclesia *hinc* bono fidelium studet supplens jurisdictionem in errore comuni aut in dubio positivo (1) et probabili seu juris, seu facti [209], *illinc* temerarium sacerdotem hac censura compescit.

197. — Ad priorem speciem quod attinet, quaeres num sacerdoti jurisdictione non istructo competat facultas absolvendis peccatis venialibus. DD. sententia fere unanimis, et proinde certa, hanc facultatem ex praesumpta Ecclesiae concessione consuevit asserere ; quin etiam, ex decreto S. C. C. diei 12 febr. a. 1679 id prohibente, animose theologi coniecerant validitatem absolutionis ab illiceitate confirmari. Quae sententia nescio an hodie componi possit cum can. 879 § 1 quo edicitur ad confessiones valide audiendas opus esse jurisdictione (sane citra periculum mortis) et quidem scripto vel verbis expresse concessa. Cur venialium confessionem excipias?

198. — Haec poena utrobique tenet *praesumentem* : porro nisi metus gravis intercedat, praesumptio hujusmodi facili negotio contingit in eo qui, expers cujuslibet jurisdictionis, poenitentes extra mortis

(1) Animadvertas velim, in dubio positivo jurisdictionem suppleri, non item in negativo quod in inscitiam recidit ; insuper hodie sublatam esse theologorum contentionem antehac disceptantium utrum nec ne jurisdictio suppleretur in errore communi absque titulo colorato.

periculum audit: quis, enim, nisi bardus, ignoret se delegatione non potiri? Et attende non oportere ab hoc absolutionem dari ut ipso facto suspendatur a divinis scil. ab omni potestate ordinis: satis est eum tanquam confessarium *audire*. In secunda tamen specie, ut censurae (nempe suspensioni — non a divinis universim, ceu in priore — sed a confessionibus audiendis) fiat locus, opus est confessarium a reservatis *absolvere*: qui igitur et culpae et poenae expers est si non absolvit; et poenam declinat si ignorantia crassa aut supina laboraverit.

II.

Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus [2374].

199. — Literas dimissorias clerici aut religiosi promovendi Ordinarius aut Superior ad Episcopum ordinantem mittit: cui si quis sistat, iis carens aut iis adulterinis instructus, jam ab ordine illegitime suscepto hoc canone suspenditur. Episcopum ordines conferentem litteris carenti poena (non censura) manet suspensionis ab ordinum collatione per annum [2373]. Oportet tamen in hac priore specie litteras nullas ab Ordinario aut Superiore exaratas fuisse; nam si confectae quidem fuerint et casu in diribitorio constiterint, et Episcopus et promovendus aliunde persuasum habeant eas rite exaratas fuisse, *illum* poena, *hunc* censura arbitror carere. Si vero promovendus litteris falsis extructis fraude deceperit Episcopum, *illum* dolus suspensione illaqueat, *hunc* nec ulla culpa nec ulla poena tenet.

200. — Cohibet etiam haec suspensio ex aequo fallaciam circumvenientis dolo malo Episcopum, sive suum sive alienum ex sui mandato ordinantem, circa aetatem, scil. si quis subdiaconatum ante vicesimum primum annum expletum, diaconatum ante vicesimum secundum, presbyteratum ante vicesimum quartum aucupetur. Ubi forsan aliquando bona fides intercedere potest (si nempe alterius neglegentia aut dolo dies originis falso appositus aut corruptus fuerit in tabulario parochiali) et a censura liberare. At eum qui ordinem inferiorem transilit, quo superiorem ocius captet, nulla profecto excusatio tegit.

III.

Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium, dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit [2400].

201. — Officia, beneficia, dignitates quae sint superius enucleavimus, nn. 149 sqq., ubi sermo institutus est de simoniace ea mercantibus. Haec suspensio a divinis, scil. a quavis potestate ordinis, resignantem tenet, licet *resignatio facta laico nullam obtineat firmitatem* (1). Praesumptio tamen requiritur; quare per vim adductus ut hanc renunciationem obsignet, poenam effugit. Hac censura innodantur parochi nuntium beneficio mittentes ad R. Oeconomum, etsi postea missuri ad Episcopum.

(1) C. 8 *De renunciatione* X (I, IX).

IV.

Abbas vel praelatus nullius qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a jurisdictione suspensus [2402].

202. — Tota haec res Abbatum et Praelatorum *nullius* anteriori disciplina implexa et ambiguitatibus aestuans (1), tandem, post Codicem, clarescit. Huc certe non veniunt abbates regulares *de regimine*, qui monachis praesunt et ab Episcopo intra cujus fines monasterium exsistit (2) benedictione augentur, nisi privilegium, et quidem directum, sint assecuti benedictionis ab alio recipiendae (3): sed veniunt abbates *nullius*, quorum territorium a dioecesi penitus est abscissum, et cum his, munere et honore, praelati *nullius* (4). Hi a quovis Episcopo [322 § 2] intra tres menses a receptis literis apostolicis, nisi quo legitimo impedimento detineantur, benedictionem recipere tenentur: secus hac suspensione a jurisdictione, nempe utriusque fori, ipso facto plectuntur.

---

(1) Cfr. *Monitore Ecclesiastico* XVI, 265 sqq.

(2) Mores nostri nec suspicari permittunt Episcopum abnuere Abbati regulari benedictionem poscenti, de qua detrectatione cfr c. 1 *De suppl. negl. praelat.* X (I, X) et mox citandam Constitutionem Benedicti XIII.

(3) Ex Constitutione Benedicti XIII *Commissi nobis* diei 6 maj. a. 1725.

(4) Horum benedictio fit per formulam Pontificalis Romani Abbati benedicendo praescriptam, quam Praelatis saecularibus accommodandam S. R. Congregatio die 19 maj. a. 1896 sibi reservavit.

V.

Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958 § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis [2409].

203. — Si recolas canonem heic laudatum, perspicis Vicario Capitulari fas esse dimissorias litteras, de consensu tamen Capituli (secus ac antea) *post* annum a Sede vacante concedere, *infra* annum solis arctatis, nedum ratione beneficii recepti vel recipiendi, prouti ex anteriori jure Tridentino, sed etiam ex officio cui propter necessitatem dioecesis incunctanter sit providendum. Unde si Vicarius consensum Capituli aut negligat aut posthabeat, aut nulla necessitate compulsus, anno a Sede orbata nondum revoluto, aut jurisdictione functus (videlicet post ostensas litteras apostolicas renuntiati Episcopi) dimissorias ferat, a divinis ipso facto suspenditur.

A. M. D. G.

Nunc vero calamum ponere juvat. Et in tenui labor. *Sed ante quam te dimittam, benevole lector, attendas velim hanc opellam ocius delineatam duorum mensium spatio, ne dicam confectam, deinde impolitam et elimandam* membranis intus positis *sex menses et ultra delituisse et prope consenuisse in officina librarii, me frustra* vellente et prensante manu lentissima *typographi* brachia. *Bellorum nempe lue late grassante cuncta prorsus cohiberi necesse fuit.*

Et cum hoc qualecumque volumen meum longa mora torpesceret accidit ut nonnulli, iique spectatae laudis DD. censuras investigarent: quorum tamen (si Pighium excipias) exantlati labores mihi, cui

. . . . . cura
non mediocris inest, fontes ut adire remotos
atque haurire queam (1)

nihil profuerunt. Et exigua spes me alit fore ut secundis curis libellum meum, mendis abstersum, in vulgus proferam. Idcirco rogo te ut has elucubratiunculas aequi bonique facias; et

. . . . . si quid novisti rectius istis,
candidus imperti; si non, is utere mecum (2).

A. M. D. G.

(1) Horatii II Serm. IV, 93 sq.
(2) Horatii I Ep. VI, 67 sq.

ERRATA-CORRIGE

ERRATA		CORRIGE
Pag. 17, l. 6 : dioceseos	—	dioeceseos
Pag. 19, l. 7 : (12)	—	[12]
Pag. 53, l. 21 : dixidio	—	discidio

INDEX

Praefatio . . . . . *Pag.* 5

DISPUTATIO PRIOR

Prolegomenon (§ 1) . . . . . » 9
C. I. De censura (2-5) . . . . . » 11
C. II. De auctore censurae (6-15) . . . . » 15
C. III. De subiecto censurae (16-33) . . . » 18
C. IV. De obiecto censurae (34-39) . . . » 27
C. V. De effectibus censurae (40-49) . . . » 32
C. VI. De cessatione censurae (50-60) . . . » 38

DISPUTATIO ALTERA

Prolegomenon (61-63) . . . . . » 49
C. I. Excommunicationes.
Sectio I. Specialissime reservatae S. S. (64) . » 52
Contrectatio Eucharistiae (65-66). *Percussio R. Pontificis* (67-70). *Absolutio complicis* (71-77). *Violatio sigilli* (78-79). *Delicta in eligendo R. P.* (80).
Sectio II. Specialiter reservatae S. S. (81) . » 65
Detrectatio fidei (82-85). *Libri haereticorum etc.* (86-87). *Simulatio Missae et Confessionis* (88-90). *Appellatio a R. P.* (91-95). *Recursus a S. Ap. ad laicam potestatem* (96-100). *Obstacula libertati, juribus, jurisdictioni Ecclesiae* (101-103). *Conventio Cardinalis etc. coram judice laico* (104-105). *Percussio Cardinalis etc.* (106). *Usurpatio bonorum Ecclesiae Romanae* (107-110). *Crimen falsi* (111-114). *Calumnia in confessarium* (115-116).
Sectio III. Simpliciter reservatae S. S. (117) . » 93
Quaestus ex indulgentiis (118-119). *Massones*

(120-121). *Praesumptuosa absolutio* (122-123). *Favor vitando impensus* (124-126). *Conventio Episcopi coram judice laico* (127). *Violatio clausurae: monialium* (128-130); *virorum* (131-132). *Moniales e claustro exeuntes* (133-134). *Usurpatio bonorum ecclesiasticorum* (135-140). *Duellum* (141-144). *Sacrilegae nuptiae* (145-146). *Simonia* (147-152). *Violatio tabularii* (153).

Sectio IV. Reservatae Ordinario (154) . . . *Pag.* 126
Illicita pacta nuptialia (155-158). *Reliquiae falso conditae* (159). *Clericorum percussio* (160). *Abortus* (161-163). *Religiosus apostata* (164-165). *Nuptiae contra votum castitatis* (166).

Sectio V. Nemini reservatae . . . . . » 137
Biblia edita injussu Superioris (167-168). *Intrusio in ecclesiasticam sepulturam* (169-171). *Bona ecclesiastica pro lubitu alienata* (172-177). *Coactio vocationis* (178). *Omissa denuntiatio sollicitantis* (179).

C. II. Interdicta (180) . . . . . » 150
Appellatio a R. P. (181). *Receptio in ecclesiasticam sepulturam* (182). *Contemptus censurae* (183).

C. III. Suspensiones (184) . . . . . » 153

Sectio I. Reservatae S. S. . . . . » 154
Temeraria consecratio (185). *Simonia in ordinibus et in sacramentis* (186-189). *Susceptio ordinum ab indigno* (190). *Dolosa professio religiosi* (191). *Religiosi dimissio propter minora crimina* (192).

Sectio II. Reservatae Ordinario . . . . » 158
Conventio clerici coram judice laico (193-194). *Religiosus fugitivus* (195).

Sectio III. Nemini reservatae . . . . » 159
Munia confessarii audacter suscepta (196-198). *Malitiosa ordinum conscensio* (199-200). *Resignatio facta laicis* (201). *Neglecta benedictio a praelatis nullius* (202). *Dimissoriae contra jus concessae* (203).

INDEX ONOMASTICHVS

AUCTORUM

Numerus paginam indicat

Alciatus 30.
Alphonsus (s.) 26, 29, 40, 54, 105, 107, 147.
Arabia 30.
Arduino 143.
Avanzini 52.

Ballerini 59.
Bastien 102, 131.
Battiffol 15.
Benedictus XIV 17, 50, 57.
Bernareggi 122.
Bertani 50.
Bianchi 116.
Billot 19, 66, 68, 80.
Bonacina 114.
Bonfante 21.
Borri 132.
Bucceroni 13, 88, 149.

Calisse 19, 123.
Canini 78.
Canus 155.
Carrara 77, 98.
Cicero 25, 87, 94.
Ciolli 56, 103, 111, 131.
Cornély 12, 33.
Costa 87.
Crouzil 111.

D'Annibale 13, 29, 55, 56, 71, 74, 75, 77, 87, 90, 110, 122, 139, 153.
De Luca 142.
Denzinger 15, 66, 67, 116.

Eisler, 64.
Espen (van) 55.

Farinacius 90.
Ferrari 101.
Ferreira 62.
Ferrini 24, 27, 109.
Filippi 132.
Fonk 69.
Franzelin 67.
Frassinetti 149.
Friedberg 50, 123.

Génicot 117.
Gennari 40, 114, 115.
Giobbio 64, 82, 113, 154.
Guasti 137.

Hergenröther 53.
Hogan 25.
Horatius 60, 94.

Knabenbauer 25.
Koch 23, 116.
Kortleiner 12.

Labeo 90.
Lagrange 33.
Laurain 73.
Lemonnyer 12.
Liberatore 14.
Lucidi 106.

Marc 56.
Marchantius 57.
Marchetti 131.
Marshall 12.
Matthaeus 94.
Morinus 11.

Navarrus 114.
Noldin 59.

Olmo 123.
Orlando 84.
Ovidius 49, 60.

Pacelli 20.
Pagani 41.
Palmieri 16.
Papp-Szilasgyi 155.
Pastor 53.
Paulus 87.
Pennacchi 110, 137.
Perozzi 114.
Perrone 128.
Pertile 19.
Pianigiani 78.
Pighi 9, 69, 81, 85, 90, 104, 107, 122, 131, 143.
Popma 11.
Prat 12.

Quintilianus 10.

Rauschen 15.
Reiffenstuel 156.
Renzius 130.
Ricci 93.
Riccobono 109.
Rinieri 50, 119.

Sanguineti 134.
Sansone 88.
Santi 39.
Seneca 50.
Serafini 108.

Tanquerey 17.
Tarquini 80.
Theiner 49.
Thomas (s.) 11, 23, 26, 120.
Tommaseo 89.

Ulpianus 28.

Vacandard 32.
Valenti 143.
Vergilius 60, 153.
Vermeesch 96.
Voëtius 60.

Wernz 45.

Zanardelli 90.
Zaninetti 50.

NIHIL OBSTAT

Taurini die 12 Augusti 1918.

Th. Dominicus Canapeira Curatus.

Acc: 5502
348. 55
C18
Cavigioli, Johannes
AUTHOR
Consuris Latae Sententiae, De
TITLE

PUBBLICAZI

ai Rev. Sacerdoti

St

N

Giuda

Nuovo Testamento.

Volume V. - *Indice generale dell'opera, a cura del traduttore prof. L. E. Bongioanni.*

Libreria Editrice Internazionale
della S. A. I. D. Buona Stampa
Corso Regina Margherita, 174-176
Torino

CODEX JURIS CANONICI

PII X P. M. JUSSU DIGESTUS BENEDICTI XV AUCTORITATE PROMULGATUS

Præfatione E.mi Petri Card. Gasparri
et Indice Analitico-Alphabetico auctus

Edizione in formato 10×14: in brossura, L. 7,50; legato in tela, L. 12
Edizione in formato 13×20: in brossura, L. 11,50; legato in tela, L. 16

CODEX JURIS CANONICI

PII X P. M. JUSSU DIGESTUS BENEDICTI XV AUCTORITATE PROMULGATUS

Præfatione, Fontium annotatione et Indice Analitico-Alphabetico
ab E.mo Petro Card. Gasparri auctus

Edizione in formato 17×26: in brossura . . . . . L. 21

D'imminente pubblicazione:

PETRO RACCA, S. Theol. Doct.

Theologiæ Moralis Synopsis

Breve opus ex sapientissimis scriptoribus de re morali eductum et ad normam novi *Codicis Juris Canonici* exaratum.

Prezzo del presente: L. 3,75.
(*Escluso qualsiasi altro aumento editoriale*).